

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Aeli Donati qvod fertvr commentvm Terenti**

**Donatus, Aelius**

**Lipsiae, 1902**

Praefatio

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.  
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1572](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:468-1-1572)

'Nec dubitamus multa esse quae et nos praeterierint:  
homines enim sumus et occupati officiis.'

*Plinius N. H. praef. 18.*

## Praefatio.

Donati commentum edituro pietatis mihi videtur esse, ut primo loco commemorem viros doctissimos, qui huius editionis quasi fundamenta posuerunt. Atque Ludovicus Schopen, qui a. 1821 dissertationem 'De Terentio et Donato eius interprete' (Bonn.) scripserat, primus novae editionis consilium cepit, ut appareret ex programmate Bonnensi a. 1826, quod inscripsit 'Specimen emendationis in Ael. Donati commentarios Terentianos ad novam totius operis editionem indicendam propositum'. Rem incohatam usque eo perduxit, ut pars commenti (usque ad Andr. I 2, 34) typis exprimeretur; cuius editionis hunc voluit esse titulum 'Aelii Donati commentarii in Terentium. Textum edd. vett. collatis recensuit, scholia spuria notavit et animadversiones criticas adiecit L. S. Accedit Eugraphius cum scholiis Bembinis et Mediolanensibus [ab Ang. Mai editis Mediol. 1815]'. Quibus de causis conatus destiterit, mihi non satis constat: fortasse editiones Stallbaumii et Klotzii, quae annis 1830—31 et 1838—40 prodierant, eum moverunt, ut coeptum omitteret; nisi forte intellexit ea subsidia, quae habebat, infirmiora esse quam quibus Donati commentum in integrum restitui posset. Itaque anno 1851 Lutetiam Parisiorum se contulit ibique codices 7920, 7921, 7899 contulit. Paulo post Vahleno mandavit, ut sibi codices Leidensem et Dresdensem excuteret, simulque

aliorum librorum mss. notitiam sibi paravit. Sed quominus rem absolveret, fata iniqua impediverunt. — Anno 1860 'Suetonii Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiae' prodierunt, quas collegerat A. Reifferscheid: Suetoni vitam Terenti, quae Donati commento praefixa est, edidit Fridericus Ritschl (p. 26 sqq. et 481 sqq. = Opusc. III 204 sqq.) atque hanc editionem egregio illo commentario instruxit, in quo non modo de ipsa vita et de sermone Suetoniano, verum etiam de Donati codicibus veteribusque editionibus disseruit. Qui quam praeclare de hac commenti parte meritus sit, non est quod praedicem. — Schopeno a. 1867 mortuo heredes illius schedas Augusto Reifferscheid tradiderant, qui anno 1868 universitati Bonnensi semisaecularia celebranti specimen novae editionis dedicavit, quod in publicum non prodiit. Huius titulus est 'Aeli Donati et aliorum commenta in Terentium. Ludovicus Schopenus apparatu critico instruxit, Augustus Reifferscheid recensuit'; continet autem vitam Terenti et Euanthii tractatum usque ad II 7 ('Terentique est. de qua cum'). In apparatu critico lectiones codicis Parisini A et editionis principis enotatae sunt. Tum a. 1874 et 1875 Reifferscheid indicibus scholarum Vratislaviensibus duos libellos adiunxit, quorum altero 'Euanthius et Donati commentum de comoedia', altero 'Donati in commenta Terentiana praefationes' continentur. De subsidiis suis pauca praefatus est prioris opusculi p. 1—2; erant autem eadem quae Schopen congesserat. Paulo post (a. 1876) Reifferscheid Parisinum A iterum contulit et a. 1879 Georgium Wissowa operae socium sibi assumpsit, qui annis 1882 et 1883 libros manuscripts qui in Italiae bibliothecis asservantur perlustravit partemque eorum (*B Vdg*) excussit. Sed ne Reifferscheidio quidem contigit, ut quam incohaverat Donati editionem ad finem perduceret: a. 1887 praematura morte absumptus est (cf. Annal. biogr. XII [1889] 39 sqq.) — Eodem fere tempore quo Reifferscheid etiam Carolus Dziatzko, vir de Terentio optime meritus, ad Donati commentum accessit et primum in Mus. Rhen. XXIX (1874) 445—62 et 511—12 ('Zum

Terenzcommentar des Donat') antiquissimum codicem Parisinum *A*, deinde in X Suppl. Ann. philol. (1879) 662—96 ('Zur Kritik des nach Aelius Donatus benannten Terenzkommentars') codicem Oxoniensem *C* accuratissime descripsit eorumque librorum originem investigavit; simul Bentleii coniecturas (quarum exiguum partem habes apud Stallbaumum III 338—40) edidit (l. c. 662sqq.). Idem et in Mus. Rhen. XXXI (1879) 370—80 ('Zur Kritik und Exegese der griechischen und lateinischen Komikerfragmente') corruptis quibusdam commenti locis medelam adhibuit neque alia occasione oblata castigatoris officio defuit (cf. editiones Terenti 1874, 1881, 1884). — Iam commemorandus est Remigius Sabbadini, cui hanc editionem plurimum debere gratissimo profiteor animo. Is enim postquam iam in 'Museo italiano di antichità classica' III (1890) 381—476 ('Storia e critica di alcuni testi latini: Donato Terenziano') operam studiumque in Donati commentum contulit, paucis post annis totam quam dicunt quaestionem Donateam diligentissime et sagacissime tractavit in 'Studi italiani di filologia classica' II (1894) 1—134 ('Il commento di Donato a Terenzio'). Huius commen-tationis quasi supplementum scholia Donatæ ad Eun. I—II apparatu critico observationibusque instructa edidit l. c. III (1895) 249—363 ('Gli scolii Donatiani ai due primi atti dell' Eunuco di Terenzio'). Postremo emendationes ad Phorm. I—II emisit l. c. V (1897) 289sqq. ('Biografi e commentatori di Terenzio'). — Praeterea de commentariis Terentianis pro sua quisque parte bene meriti sunt viri doctissimi hi: Hermannus Usener ('Vier lat. Grammatiker' in Mus. Rhen. XXIII [1868] 493sqq.), Guilelmus Hahn ('Zur Entstehungsgeschichte der Scholien des Donat zum Terenz' I 1870, II 1872), Augustus Teuber ('De auctoritate commentorum in Terentium quae sub Aelii Donati nomine circumferuntur' 1881 et 'Zur Kritik der Terentiusscholien des Donatus' in Ann. philol. 1891, 353—67), Fridericus Leo ('Die Überlieferung der terenzischen Komödien und der Commentar des Donatus' in Mus. Rhen. XXXVIII

[1883] 317—47 et ‘Euanthius de fabula, Donatus de comoedia’ in *Fragm. Com. Graec. ed. Kaibel I 62—71*), Eduardus Scheidemantel (‘Quaestiones Euanthianae’ Lips. 1883), Henricus Gerstenberg (‘De Eugraphio Terentii interprete’ Ienae 1886), I. I. Hartman (‘De Terentio et Donato’ Lugd. Bat. 1895), Paulus Rabbow (‘De Donati commento in Terentium specimen observationum primum’ in *Ann. philol.* 1897, 305—42), Eduardus Smutny (‘De scholiorum Terentianorum quae sub Donati nomine feruntur auctoribus et fontibus quaestiones selectae’ in *Diss. philol. Vindob. VI [1898]* 93—137). — Denique addendum est me ipsum de Donati commento disputasse in *Mus. Rhen. LII* (1897) 69—98 (‘Die Überlieferung von Aeli Donati commentum Terenti’) et in *commentatione gratulatoria philologis paedagogisque Germaniae a. 1899* Bremam conventuris dedicata (‘Untersuchungen zur lateinischen Scholienlitteratur’ p. 1—28).

---

### § 1.

#### Testimonia.

- 1) *Hieron. chron. ad a. 353*: ‘Victorinus et Donatus grammaticus, praeceptor meus, Romae insignes habentur.’
  - 2) *idem comm. in eccles. 1*: ‘Hinc quid simile sententiae et comicus ait (*Ter. Eun. prol. 41*) »nihil est dictum, quod non sit dictum prius«, unde praeceptor meus Donatus cum ipsum versiculum exponeret »pereant« inquit »qui ante nos nostra dixerunt.«
- (De hoc loco recte interpretando v. I. A. Becker in *progr. gymn. Magunt. 1870* p. 18.)
- 3) *idem apol. adv. Rufinum 1, 16*: ‘Puto quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios . . . et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aequae in Vergilium et aliorum in alios.’
  - 4) *Priscianus instit. gramm. 18, 162—63* (*Gr. L. III 281, 7*): ‘Ausculto tibi et te: . . . Terentius in Andria . . . in eadem (III 3, 4) »ausulta pauca: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies« — nec enim aliter stat iambus, qui est quaternarius —, quod etiam Donati commentum approbat.’

- 5) *idem l. c. 18, 225 (Gr. L. III 320, 7)*: 'Nostri audio quidem accusativo adiungunt, ausculto vero tam dativo quam accusativo. Terentius in Andria . . . idem in eadem (III 3, 4) »ausculta pauca: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies«: sic enim habent antiqui codices teste Donato commentatore eius.' (*Cf. schol. ad Andr. III 3, 4: AVSCVLTA PAVCIS et 'paucis' et 'pauca' legitur.*)
- 6) *Sergii explan. in art. Donati (Gr. L. IV 486, 8)*: 'Hic enim Donatus V. C. D. Vergilianum carmen et [sic Ribbeck; vel codd.] Terenti comoedias mirifice commentavit.'
- 7) *Cod. Bern. 83 s. X f. 2<sup>a</sup> (Aneed. Helv. ed. Hagen 175, 18)*: 'Quando idem in pro super ponitur tunc tamen tantummodo, cum liber a quolibet exponitur, ut . . . Donatus in Terentium.'
- 8) *Subscriptio artis grammaticae Donati (Gr. L. IV, XXXI sqq.)*: 'ARS DONATI GRAMMATICI VRBIS ROMAE.'
- 9) *Subscriptio commenti Terentiani ex antiquissimis codicibus petita*: 'AELI DONATI VC ORATORIS VRBIS ROMAE COMMENTVM TERENTI.'
- (De testimon. 8 et 9 cf. Sabbadini 'Studi italiani'  
III 337 sqq.)
- 10) *Servatus Lupus abbas Ferrariensis in epistula ad papam Benedictum III (a. 855—858) data (Bibl. patr. III 674, Paris. 1664; cf. Becker, Catal. 25, 14)*: 'Pari intentione Donati commentum in Terentium flagitamus.' *f. 102v. 447*
- 11) *Hieron. chron. ad a. 358*: 'Euanthius eruditissimus grammarum Constantiopolis diem obit.'
- 12) *Rufin. comm. in metra Terent. (Gr. L. VI 854, 4)*: 'Euanthius in commentario Terentii de fabula hoc est de comoedia [hoc — comedia sel. Keil] sic dicit »concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro« et postea sic »ueteres etsi ipsi quoque in metris neglegentius \* \* iambici versus dumtaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri quantum potest communiti ad imaginem prosae orationis«' (*cf. Euanth. II 6 et III 3*).

## § 2.

## De libris manuscriptis.

## I. Libri meliores.

- 1) *Codex Parisinus lat. 7920 (Colbert. 1712, Regius 5073, 7) A*  
s. XI membranaceus foliorum 55, quae in septem quaterniones numeris XXVI—XXXII signatos distributa sunt, unde appareat

codicem olim partem fuisse amplioris voluminis, cuius priores 25 quaterniones iam non extant. Folium ultimum (56) excisum est. Scriptus est ab una manu totus, nisi quod fol. 53<sup>r</sup> versus 24—27 in pessima membrana ab alia manu coaeva videntur esse confecti. Librarius ipse codicem, saepenumero cultello usus, ex archetypo correxit, raro variam lectionem sine dubio ex eodem fonte petitam supra versum addidit, paucissima in margine ad-scripsit. Ab hac libraria manu faciliter opera discernitur alia recens s. XVI, quam esse Petri Danielis Aurelianii, ad quem olim hic liber pertinebat, suo iure statuit Dziatzko; ille autem saepe textum correxit, coniecturas nonnullas in margine ad-spersit, hic illuc variam lectionem ex editione quadam haustam enotavit. Tertia praeterea manus atque eadem recentissima (I. A. Thuani, ni fallor) numeros actuum et scaenarum, nomina poetarum in commento laudatorum sim. addidit nec non scholia et lemmata multis locis distinxit, hac in re librarium secuta, qui in prioribus 13 paginis semper, deinde rarissime ad distinguenda singula capita vel singulas scaenas paragra-phum (7) posuit. Idem primo fere lemmatum vocabulo, quo melius initium novi scholii cognosceretur, signum ſ ſ vel ſ superscriptis, quo signo in aliis quoque scholiorum libris (velut in cod. Horatii Dessaviensi A s. X) scholia distingui solent. Quae signa ex eo libro, unde Parisinus propagatus est, esse transcripta inde appareat, quod non semper suo loco posita sunt. Praeterea in A distinguendi vel subdistinguendi signa adhibita sunt haec: . ; , — Compluribus locis librarius lacunam reliquit, sive quod eam in archetypo iam invenerat sive quod quid in illo exaratum esset dignoscere non poterat. Eum librum ex quo A descriptus est minusculis litteris scriptum fuisse docent inter se commutatae litterae c τ r, f l, ol d, ci d; eundem autem codicem ad librum maiusculis litteris exaratum redire testimonio sunt talia: ΝΔΔΞΙΩΜΑ, ΔΠΩΣΙΩΤΤΙΚΙΚΕΛΕΑ-ΛΙΥΙC, ΔΣΙΝΔΕΤΟCΕΤΕΛΛΕΙΨ-ΙC, ΕγΟΗΔ"CMOCANTIQOΙU PRONICHL; NIHIL PRORSUS. sim. Is enim qui archetypum transcripsit non intellegens Latina vocabula Graecis admixta esse omnia eis characteribus reddidit, quibus etiam in codici-bus minusculae litteraturae vocabula Graeca tradi solebant. — Quod ad orthographiam attinet, librarius minime sibi consttit: etenim *haud* et *haut*, *apud* et *aput*, *malevolus* et *mal-iuolus*, *uergt* et *uirgt*, deinde *aff-* et *adf-*, *ass-* et *ads-*, *imp-* et *inp-*, nec non *ae* & *e*, *oe* & *e*, *i* *y*, *f ph* sim. promiscue leguntur; sollemnes scripturae sunt *michi*, *nichil*, *habundare*, *condempno*, *aliae*. — Valde dolendum est, quod cod. A, qui ut antiquissi-mus ita optimus fere omnium est, non totum commentum sed quartam tantummodo partem continet: fol. 1<sup>r</sup>—2<sup>u</sup> vitam Tे-renti, fol. 2<sup>u</sup>—6<sup>r</sup> tractatus de comoedia, fol. 6<sup>r</sup>—51<sup>r</sup> commentum

Andriæ (APLI DONATI UC ORATORIS URBIS ROME CÖMVENTU TERENTII &NDRIE EXPLICIT · INCIPIT SECUNDUS  
&DEFORU · FELICITER ·; in margine · &DELFE ·); fol. 51<sup>r</sup>—55<sup>u</sup>  
commentum Adelphorum usque ad I 1,40 ‘modeste additum  
mea’, quae verba v. 21 leguntur, reliqua pagina vacua, unde  
Parisinum numquam plenior fuisse recte colligitur. Quod  
Andriæ commentum Adelphorum commento excipitur, hoc  
Parisini proprium est, nam reliqui codices omnes alium  
exhibent ordinem: qua de re infra (§ 3) dicendum est. — p. XXV

Restat, ut de fatis libri A quae comperta habemus proferantur: quae maximam partem Dziatzkoni debentur (Mus. Rhen. 29 [1874], 445—62; 511—12). Fuisse autem videtur olim in ‘amplissima fani Benedicti Floriacensis ad Ligerem bibliotheca’, quae a. 1562 disiecta atque dispersa est. Deinde aut omnia me fallunt aut in Antonii Contii Bituricensis bibliothecam translatus est, ubi Pithoei fratres eum contulerunt (v. libellum meum ‘Untersuchungen z. lat. Scholienlitt.’ p. 17 sqq.). Certe ante a. 1571 in manus Petri Danielis Aurelianii venit (fol. 1<sup>r</sup>: ‘Petri Danielis Aurel. c.’; cf. H. Hagen, ‘Der Jurist und Philolog Peter Daniel aus Orleans’, Bernae 1873 p. 32), qui vir doctus codicem, ut supra commemoravimus, plurimis locis correxit et cum editione Veneta a. 1482 (quae nunc in bibl. Bern. asservatur: Inc. III 28) contulit, cui non solum per multas Parisini lectiones adscripsit, verum etiam haud paucas coniecturas commendavit. A Daniele Lindenbrogio Parisini copia facta est, qui in observationibus ad Andr. I 2, 15 queritur ‘tardius ad manus suas pervenisse Ms. cod. Danielis’ quam ut eo in editione conficienda uti posset. Sane in observationibus suis ex ‘schedis vett. Pet. Danielis Aurelianii’ (v. Lindenbr. praef.) sat multa enotavit. Anno 1603, quo Daniel supremum diem obiit, codex in ‘Iac. Aug. Thuani’ (sic fol. 1<sup>r</sup> legitur) et anno 1680 in Colberti bibliothecam translatus est (fol. 1<sup>r</sup>: ‘Cod. Colb. 1712’; cf. Montfaucon, Bibl. bibl. man. nov. II 952<sup>a</sup>); anno 1732 in bibliothecam Regiam migravit. —

Saeculi XIX multi viri docti Parisini copiis usi sunt: contulerunt vel totum vel aliqua ex parte Schopen (1851), Fritsch (v. Umpfenb. praef. XXXVIII), Hunziker et Meyncke (v. Ritschelii op. III 215 sq.), Fröhner (v. Philol. 18, 358), Dziatzko (1873), Reifferscheid (1876). Ipse Parisinum a. 1894 Ienam missum quam accuratissime descripsi et apographon cum codice contuli, ut penitus exhaustum esse meo iure contendere possim. — Cf. Catal. cod. manuscr. Bibl. Regiae (Paris. 1744) III 4 p. 412<sup>b</sup>.

2) Codex Vaticanus Regin. lat. 1595 miscellaneus 67 **B**  
membranarum. Fol. 1—20 duo fragmenta commenti Donatei

continent a manu s. XIII scripta: alterum (fol. 1<sup>r</sup>—14<sup>u</sup>) pertinet ad Andr. II 1, 21 ('neque a. c. q. sum miser') — Eun. III 2, 1 ('omnes sensus uisa dicuntur'), alterum (fol. 16<sup>r</sup>—20<sup>u</sup>) ad Hec. III 4, 16 ('te e bene exceptit') — V 2, 8 ('multa terentius feliciter ausus est'). Sequitur fragmentum commenti in Lucanum (II 690—VIII 64) ab eadem ut videtur s. XIII manu scriptum, quod desinit fol. 33<sup>u</sup>, ubi in calce adscriptum est 'duo septem sequentes sunt de prima et secunda comoediis terentii'. Fol. 9<sup>r</sup> haec exstant 'Commētū tētu and'e expllcit; Īcip̄ Eunuc9.', unde eluet ordinem fabularum in Vaticani archetypo eundem fuisse, quem in reliquis codicibus excepto uno Parisino *A* invenimus. Post Eun. praef. c. I legitur 'hic argumentum notandum quod alibi scripsimus': omisit enim librarius alterum prae-fationis caput, quod hodieque desideratur; scholia ad Eun. III 1, 3—17 ('adiuta me — quoque regi') post 19 transposita sunt erroris signo Φ addito; scholia ad Eun. II 3, 22—74 omissa sunt neque quicquam adnotatum. — Etsi dubitari non potest, quin Vaticanus *B* ex optimo fonte derivatus sit, quippe qui in universum quam proxime ad Parisinum *A* accedat, tamen cavendum est, ne temere eius memoriae credamus; nam redactoris operam expertus est, qui contrahendi studio adductus saepenumero scholia mutilavit, commutavit, omisit, pro genuinis alia lemmata substituit, scriptorum locos a commentatore allatos non ita raro resecurit. Sed vel sic maximi pretii est, praeceps in Hecyrae commento, ubi meliorum librorum auxilio paene destituti sumus. —

Totum excusit a. 1883 Wissowa, cuius collatione usus sum, praeterea magnam partem publici iuris fecit Sabbadini ('Studi italiani' II 91 sqq., III 251 sqq.; cf. praeterea II 43; 68; III 332); qui ubi diversa testantur, varias lectiones testimoniis nominibus appositis (*t. Wiss.*, *t. Sabb.*) commemoravi. — Cf. Montfaucon, Bibl. bibl. I 57<sup>a</sup>.

*V* 3) Codex Vaticanus Regin. lat. 1496 s. XV membranaeus 271 foliorum. Membranae optimae, nitidissima scriptura, picta in prima pagina ornamenta itemque pictae litterae initiales ex Vespasiani Florentini officina hunc librum prodisse arguunt; in prima pagina pictus appetat clipeus, qui fortasse ad papam Nicolaum V pertinet. Fol. 1<sup>r</sup> haec legitur 'DONATI GRAMMATICI EXCELLENTISSIMI IN PRIMA COMOEDIA AFRI TERENTII INCIPIT', fol. 128<sup>r</sup> haec 'EXPLICIT EVNVCHVS. INCIPIT ADELPE COMOEDIA QVARTA deest Eautontumerumenor'. Continet Donati commentum integrum hoc ordine: vita, tractatus, Andria, Eunuchus, Adelphoe, Hecyra, Phormio. Vocabula Graeca, quorum *V* amplissimus fons est, fere omnia ab eadem manu scripta sunt quae codicem exaravit, unde appetat ea ex archetypo derivata esse, in quo ni fallor maius-

culis litteris scripta erant (cf. Eun. I 2, 87; Phorm. I 2, 18);  
 ubi desunt, plerumque spatium relictum est, sicut in aliis eius  
 aetatis codicibus factum videmus. Praeterea notanda haec  
 sunt: ad Andr. III 2, 1 pro eo quod desideratur ‘ενθήμετα’  
 inter ‘dicuntur’ et ‘adhuc’ signum positum est: in margine  
 adscriptum ‘spatium hic in medio duorum verborum’; in Hec.  
 commento aliquot lacunae reperiuntur: V 3, 1 desunt verba  
 ‘inducitur — sua’ et in margine adnotatum est ‘deletum  
 propter vetustatem’, V 4, 19 desiderantur verba ‘inter — locus’  
 et V 4, 22—23 ‘est — wideram ut’. In Phormionis commento  
 scholia quae pertinent ad II 3 in duos ordines distributa sunt,  
 ita ut scholia ad v. 1—93 excipientur scholiis ad v. 5—93, qua  
 de re mox fusius disputetur necesse est; ad v. 3 prioris ordinis  
 librarius adnotavit ‘Error in exemplari · A’, idem ad v. 7 ad  
 scripsit ‘uerte usque ad tale signum’, tum initio alterius  
 ordinis in margine haec adiecta sunt ‘haec sequentia praec-  
 cedunt ea quae praecesserunt ante in tali signo · A’ et iterum  
 ad v. 11 ‘duplicata sunt et tamen aliter dici videntur quam  
 antea dicta sint’. Hinc apparet iam in eo exemplari ex quo V  
 descriptus est duos ad hanc scaenam exstisset scholiorum  
 ordines. — Iam commemoranda est res maximi momenti: in *V<sup>2</sup>*  
 priore enim commenti parte codex *V* sescenties manum cor-  
 rectricem expertus est, quam Sabbadini (‘Studi italiani’ II 44 sq.)  
 eandem atque librarii esse sibi persuasit, at Wissowa et Grae-  
 ven ab hac diversam putant, etsi illi et simillima et certe  
 coevea sit. Haec correctoris manus — appello eam *V<sup>2</sup>*, quam-  
 quam certis de causis in Sabbadini sententiam propensior  
 sum — primum satis multa partim in textu partim in margine  
 supplevit, quae librarius omiserat (fortasse quia iam in arche-  
 typō deerant); deinde saepissime pristinam scripturam delevit  
 aliamque lectionem substituit, vel etiam additis signis “’ ordi-  
 nem verborum mutavit. Quae correcturae tam frequentes et  
 tam violentiae quin ex alio exemplari longe diverso petitae  
 sint, dubium non est, praesertim cum facillime demonstrari  
 possit, cuius generis fuerit codex ille, quem corrector adhibuit.  
 Conferas velim inter se codicem *L* vel *c* vel *N* et ea quae *V<sup>2</sup>*  
 intrusit: ex habes omnem rem! Atque quo magis comprobetur  
 librum talem adhibitum esse, inspiciamus si placet alteram  
 Vaticanī partem inde ab Ad. II 3, ubi correcturae subito desinunt: ubique summam inter *V* et libros supra commemoratos  
 reperiemus consensum. Itaque hoc pro certo statui potest:  
 librarius qui Vaticanū exaravit cum pervenisset ad Ad. II 3,  
 aliud nactus exemplar quae adhuc scripserat eius auxilio  
 corredit, deinde cum pergeret eiusdem exemplaris rationem  
 habuit quam plurimam. Hinc sequitur, ut quae in priore  
 parte correctori debentur et omnia quae in posteriore leguntur,

ubi consentiunt cum eis quae e. g. in *L* exstant, minime ei libro tribuamus, quem primum secutus est librarius. Immo ubi talis consensus agnoscitur, hanc legem servare debemus, ut abiecta codicis *V* lectione a diversa reliquorum codicum memoria proficiscamur. —

Denique admonendum est in Vaticano hic illuc quaedam inveniri, quae ad Donati commentum non pertineant: velut ad Eun. II 3, 34 pro 'et Phrygiae molimur m. I.' (= Verg. Aen. III 6) leguntur haec 'et Phrygiam Ascanio chlamydem' (= Verg. Aen. III 484); ad Hec. IV 4, 16 'quia liberi patrem sequuntur' in margine additum est 'contra in iure partus sequitur ventrem'.

Primus hunc librum inspexit Ribbeck (v. 'Monatsber. d. Berl. Acad.' 1854, 45), qui Ritschelii in usum vitam Terenti contulit (v. Sueton. rell. ed. Reiffersch. p. 408); deinde Wachsmuth, cum Ritschelii opuscula editurus esset, iterum Vaticanum consuluit (Opusc. III 216, ubi per errorem numerus 1492 exhibetur). Totum a. 1883 excussit Wissowa, qui collationem suam benigne mihi commodavit; pauca Graevenio deboeo. Adhibuit praeterea codicem *V* Sabbadini, cf. 'Studi italiani' II 44 sqq.; III 332 sqq.; ipse de eo disputavi in Mus. Rhen. LII 81 sqq. et in 'Unters. z. lat. Scholienlitt.' p. 26.

**R** 4) Codex Riccardianus 669 s. XV ex miscellaneus foliorum 338. Quartum locum occupat Donati commentum Phormionis, in 44 chartis (fol. 134<sup>r</sup>—177<sup>r</sup>) ab una manu scriptum; inde ab fol. 152<sup>r</sup> v. 9 librarius, quem Petrum Philippum de Pandolfini fuisse sibi persuasit Sabbadini ('Studi ital.' II 47), atramento paulo pallidiore usus est, quo etiam in antecedentibus multa correcta vel in margine addita sunt. Ante fol. 152 unum folium recisum est, sed 'Nichil deficit', ut adnotavit librarius; idem fol. 152<sup>a</sup>, quae pagina vacua relicta est, adscripsit 'Nichil deficit sed prosequitur bene'. Subscriptio legitur fol. 177<sup>r</sup> haec: 'EXPLICIT COMENTVM PHORMIONIS EDITVM A DONATO CLARISSIMO GRAMATICO'. Hic illic lacunae reperiuntur, ubi in archetypo 'consumpte erant littere ob vetustatem' (praeft. III 4) vel 'delete erant littere' (prol. 11). Vocabula Graeca librarius partim ex archetypo statim transcripsit partim postea supplevit eodem ni fallor exemplari usus. Scholia ad Phorm. II 1, 4 ('esse credebat') — 19 ('non potuit. Habendae') desunt; ad II 3 scholia eodem modo atque in *V* in duos ordines distributa sunt. Ab omnibus reliquis codicibus *R* eo differt, quod solus in ultimo prologi scholio versum Ennianum exhibet, fortasse ab ipso librario ex Ciceronis de senectute libello (I 1) additum. Fol. 177<sup>a</sup> nonnulla de tragœdia et comoedia leguntur nomine Donati praefixo, quae quin ad Papiae Elementarium redeant vix potest esse dubium (cf. 'Studi

ital.' II 40; Mus. Rhen. LII 80; 'Unters. z. l. Scholienl.' 12 adn.) —

Post Sabbadinum, qui uberior de Riccardiano egit in 'Museo ital.' III 405sqq. et 'Studi ital.' II 46sqq. (cf. etiam V 290sqq.), ipse codicem a. 1895 Ienae excussi et in Mus. Rhen. LII 79sq. de eo disputavi. — Cf. Catalogo della libreria Pandolfini, Firenze 1884, p. 45; Lami, Catal. bibl. Riccard. p. 141.

5) Codex Vaticanus lat. 2905 s. XV miscellaneus foliorum 130. Secundo loco exstat fragmentum Donati, a manu s. XV in 100 chartis (fol. 21—120) scriptum. Continebat olim uitam, tractatus, commenta Andriæ et Eunuchi, cuius extrema pars interiri; nam post fol. 120 quinque recisorum foliorum laciniae supersunt. Extrema verba nunc sunt 'missa h. f. q3 hec scilicet' (= Eun. V 2, 23). Vocabula Graeca etsi plerumque in lacuna omissa sunt, pauca tamen servata, ut Eun. IV 5, 6 'uidet refMIHONOMIA', IV 7, 46 'R&T&ceſtīcol', quibus evincitur Vaticanum ad vetusiorem librum redire, qui Graeca exhibebat. Ad Euanth. III 5 'mimicam uilitatem' hoc additum est 'id est ystorionamic inde mimus id est histrio'. Fol. 76<sup>a</sup> haec legitur subscriptio 'Afri Donati oratoris Vrbis Conmētū Terrentii Andrie explicit. Incipit Eunuchus'. Archetypi notas a librario codicis T (vel eius libri ex quo Vaticanus descriptus est) saepissime male explicatas esse iam Sabbadini monuit ('Studi ital.' III 332), velut -re pro -tur, -tis pro -te sim.: quae in editione plerumque non curavi. — Collationes quibus usus sum confecerunt H. Graeven (vita, tractatus), C. Hoeing (Andria), Fr. Spiro (Eunuchus); praeterea ut par erat adhibui ea, quae Sabbadini in 'Studi ital.' II 91—99 et III 251—53, 290—329 publici iuris fecerat. Quod ad Andriæ collationem pertinet, C. Hoeing, qui Warreño intercedente eam mihi liberalissime concessit, non esse eam plenissimam monuit, sed non nisi levidensia desiderari mihi quidem persuasum est.

6) Codex Oxoniensis Bodl. Canon. lat. Auct. class. 95 C s. XV chartaceus foliorum olim 170, nunc 168; desunt enim folium primum, quo vita Terenti et Euanthii pars (usque ad I 2 'tragoedia dice') continebantur, et folium ultimum scriptura vacuum. Codicem accurate descripsit Dziatzko in X Suppl. Annal. philol. 1879 p. 675sqq. Confectus est a tribus librariis: primus fol. 1<sup>r</sup>—106<sup>a</sup> scripsit, alter fol. 107<sup>r</sup>—144<sup>v</sup> v. 15, tertius reliquam partem. In 95 foliis prioribus scriptura in duas columnas divisa est. Correctorum item tres manus distinguuntur, quarum prima librarii manus calami menda sustulit, variam lectionem in margine adspersit, alia pauca addidit; secunda manus ex alio codice ut videtur non-nulla correxit, tertia quae primæ simillima est, in corrigendo editionem quandam (Stephani?) adhibuit. Correcturas comme-

moravi omnes ita, ut quae librarii esse videbantur, nota *m. 1*,  
 quae aliorum, nota *m. 2* significarem. Subscriptiones reperiuntur  
 hae: fol. 71<sup>a</sup> ‘FINIS DONATI IN EVNVCVM’; fol. 138<sup>a</sup> ‘DONATI COM-  
 MENTVM HECHYRAE EXPLICIT’; fol. 166<sup>a</sup> ‘AMEN. Donati gramatici  
 comentum in phormionis commedia feliciter explicit’; accedit  
 hic titulus fol. 139<sup>a</sup> ‘DONATI GRAMMATICI IN PHORMIONEN COMMENTVUM’.  
 — Voces Graecae maximam partem spatio relicto omissae, non  
 nulliae tamen locis casu quodam servatae sunt, qua de re cf.  
 Mus. Rhen. LII 75 sq. Additamenta repperi haec: ad Euanth.  
 III 5 in margine ‘i. i. hystrionicam inde mimus .i. hyistro’  
 (cf. *TF*); ad Audr. IV 3, 13 ‘Nota in testu solum iurandum  
 debere esse’; ad Eun. IV 7, 13 ubi legitur ‘stragematum’, super-  
 scriptum est ‘i. i. castramtarī’; ad Ad. II 1, 37 ‘Vortunius nota  
 de Vortinio deo ouidium dicere in 4<sup>o</sup> metha’ (immo XIV 642);  
 ad Phorm. II 3, 4 ‘est ciceronis pro deiotaro’; ad II 3, 58 ‘ff. de  
 legibus .i. p̄ceps ff. de lego &ō .i. ex impfēō iusti qb3 moīs  
 testa infer .§. fi.’ Deinde commemorandum librarium simi-  
 liter atque in *T* vidimus compendia archetypi prave soluisse;  
 quo factum est, ut saepenumero et et in (1 1), et et *quia* (& 92),  
 et et *g* (v. Hec. III 3, 45) inter se commutarentur. — In Phor-  
 mionis commento *C* eandem lacunam habet quam *R* (II 1, 4—19),  
 eundem ad II 3 scholiorum ordinem atque *RV*. Summi autem  
 momenti ad originem codicis Bodleiani cognoscendam est  
 epistula illa Petri Candidi Decembrii ad Franciscum Pizolpassum  
 archiepiscopum Mediolanensem, qua epistula inter Hecyrae et  
 Phormionis commentum fol. 138<sup>a</sup>—139<sup>a</sup> inserta et primum a  
 Dziatzkone l. s. l. p. 692, deinde a Sabbadinio in ‘Museo Ital.’  
 III 406—7 (ex cod. Riccard. 827) edita est. Hac enim epistula,  
 quae anno 1436 scripta est, edocemur Candidum a Pizolasso  
 esse rogatum, ut eius Donatum transcriberet, illum autem pri-  
 mum Phormionis commentum transcripisse. Similis Candidus  
 quod non omnia perfecte traduxisset id est emendasset, ‘cariem  
 vetusti operis’ atque ‘barbariem veteris scripturae’ excusat.  
 Quaerentibus deinde, unde archiepiscopus vetustum illud Do-  
 nati exemplar acceperit, ipse nobis respondet in epistulis ad  
 Candidum datis; scribit enim ‘vir iste peritus Theutonicus...  
 Is est a quo Donatum in Terentium tuleramus in patriam’ et  
 ‘Abest autem Nicolaus noster de Cusa, ad quem spectabat  
 codex Donati Terentiani, unde tu multa pervigilique lucubra-  
 tione Phormionem extorsisti’ (‘Museo Ital.’ III 411 et 415).  
 Itaque iam dubium non est, quin ex Germania ille Donati  
 codex in Italiam translatus sit. Porro si meminerimus paulo  
 ante (a. 1433) Aurispam in Maguntina ecclesiae metropolitanae  
 bibliotheca Donati commentum invenisse (v. Keil, Ind. schol.  
 Hal. 1870 VIII; Sabbadini, Biografia di Giov. Aurispam 65),  
 eundem autem Aurispam et Nicolaum Cusanum nec non Pizol-

passum concilio Basileensi interfuisse (cf. Voigt, Wiederbel. d. class. Altert.<sup>3</sup> I 257 adn. 1), iam audacior non videbitur Sabbadini coniectura (a qua neque Keil neque Dziatzko multum aberant) Pizolpassi codicem eundem esse atque Donatum Maguntinum. Ad hunc ergo revocandus est etsi intercedentibus aliquot apographis codex Bodleianus. —

Excusit totum a. 1879 Dziatzko Vratislaviae, ipse iterum contuli Ienae a. 1895—96. — Cf. H. O. Coxe, Catalogi codd. man. bibl. Bodl. III 149; 'Studi ital.' II 66 sqq.; Mus. Rhen. LII 74 sqq.

7) Codex Florentinus Marucellianus C 224 s. XV ex. F chartaceus 205 foliorum. Fol. 2<sup>r</sup> incipit Donati commentum nec titulis nec subscriptionibus instructum. Conscriptus est codex ab una manu totus, sed inde a fol. 146<sup>r</sup> scriptura artior fit, unde Sabbadini hanc alteram partem ab alio librario scriptam esse sibi persuasit. Praeterea manus recens actuum et scaenarum numeros adiecit. Cohæret autem Marucellianus artissime cum Bodleiano C, nam sicut hic exhibet Petri Candidi epistulam, eandem habet in Phormionis commento lacunam (II 1,4—19), eandem scholiorum ad II 3 distributionem. Differt autem eo, quod multo mendorosior est illo et duobus locis iacturam fecit, ita ut in Hecyrae commento scholia ad IV 1,26—IV 3,11 ('mensibus prius olfecisset' — 'pro minus discordibus') et ad V 1,19—V 4,1 ('sibi uelit præberi' — 'tardius credamus effectum') desiderentur. Quae cum ita sint, satis habeo variam lectionem ad Terenti vitam tractatusque de comoedia attulisse, quam humanissime mecum communicavit E. Rostagno, qui et de codicis natura atque condicione per litteras me edocuit. Praeterea Sabbadini Marucelliano usus est, cf. 'Studi ital.' III 251 sqq., 331 sq., V 290 sqq.

Hic non alienum videtur mentionem facere librorum *Codex Stephanii* manuscriptorum, quos Stephanus, Lindenbrog, Westerhov adhibuerunt. Ac primum quidem Stephanus in praefatione cum alia tum haec dicit: 'reposita sunt Graeca prope omnia, pro quibus antehac excusi codices lacunis fere scatabant. haec autem laboris pars operosissima fuit, cum in vetusto exemplari manu scripto (quod nobis erat ex dono Iodoci Badii optimi socii nostri . . .) obscura tantum restarent vestigia Graecarum literarum, quae nisi ab homine perito divinari non poterant. quae omnia . . . præststit quidam noster . . . amicus Graece ac Latine doctissimus [Guilelmum Budaeum significari suspicatus est Bernays], qui hanc suscepit emendationem antiquo illo quem dixi potissimum fretus archetypo. cuius fidem etsi in plerisque sequutus est, in plurimis tamen usus est coniectura sua'. Ex his verbis satis apparent Stephanii librum re vera vetustiorem fuisse, quippe

qui voces Graecas continuerit atque eas ita comparatas, ut saepissime emendatione indigerent; unde haud scio an recte codicem illum simillimum Parisino A vel Vaticano B nobis mente fingamus. Deinde consentaneum est Stephanum ipsum, quamquam hoc expressis verbis non affirmat, in reliquis quoque commenti partibus antiquo illo codice saepenumero usum esse, sed valde dolendum est quod nusquam indicavit, unde textum correxerit, ut difficillimum sit ad dijudicandum, quid suo ipsius vel amici ingenio fretus quidve nisus vetusto exemplari novaverit (cf. Dziatzko in Mus. Rhen. XXIX 452 sq. et in X Suppl. Ann. philol. 676). Hoc tamen optimo iure contendti potest permultas optimas lectiones editionis Stephanianae vetusto illi exemplari deberi, quod necessitudine quadam cum Vaticano B coniunctum fuisse videtur. Eis quae Sabbadini ('Studi Ital.' II 85) protulit unum addam exemplum: ad Hec. IV 1, 21 illud *distringi*, quod apud Stephanum legitur, solus exhibit cod. B, cum reliqui omnes *obstringi*, editiones vetustiores *abstringi* habeant.

Lindenbrog in praefatione editionis Francofurt. (a. 1623) haec adnotat: 'Donati duo exemplaria habuimus et illa Pithoeorum accurata diligentia ad MSS. codd. Antonii Contii et Iacobi Cuiacii Antecessorum Bituricensium collata; quorum auxilio in hoc commentario plurimae lacunae suppletiae aliaque infinita errata integratitiae suae restituta sunt'. Exstat autem in bibliotheca Leidensi editio Lindenbrogiana (Gronov. nr. 6) cum adnotationibus I. F. Gronovii, quas ex Pithoeorum collationibus transcriptas esse facilime demonstrari potest. Etenim ad Ad. I 1, 40 apud Gronovium legitur 'et huc usque habet vetus exemplar Ant. Contii. P.'; deinde Gronovii excerptis saepius additum est 'P.' vel 'Pit.'; postremo quae in Leidensi exemplari exhibentur, fere semper consentiunt cum eis, quae ex 'Ms. Pith.' in observationibus protulit Lindenbrog. Iam cum veri sit simillimum Contii codicem eundem fuisse atque nostrum Parisinum A (cf. supra), quae praeterea a Gronovio adnotantur ad Cuiacii exemplar referamus necesse est. Hic autem Cuiacii codex quin optimorum librorum numero adscribendis sit, dubitari non potest; nam primum voces Graecas continebat (quarum multas ex hoc fonte Lindenbrog hausit); deinde neque in Heccyrae neque in Phormionis commento lacunis scatebat, quin etiam solus scholion ad Phorm. II 1, 7 servavit; denique semper ad optimorum codicum (RC, O) memoriam accedit, quae res praesertim in ea commenti parte, ubi vetustiores libri deficiunt, summi momenti est. Subscriptionem Phormionis hanc fuisse testatur Gronov: 'AELII DONATI V · C · ORATORIS VRBIS ROMAE COMMENTVM TERENTI PHORMIONIS EXPLICIT': quae quam prope ad eam accedat, quam Parisinus A servavit, nemo non videt. —

*Codex  
Cuiacii*

Huius  
epistola  
jurist und  
todini 'St  
Scholienlit  
Restatu  
Hagan, p  
numerum  
scriptione  
In libello  
multis all  
coniunctu  
fuisse ipse  
III 3, 84—  
codicibus  
commento  
Westerho

s) C  
ceus folie  
Italia se  
ex Vespa  
potest  
quam  
Ritsche  
est. Ip  
II 65; 7  
9) 6  
praefero  
Bocellio  
Crucis de  
italiani' P  
10) Co  
ens. In Ph  
— Cf. 'St  
11) Co  
membrana  
Borbon, p  
dilectum  
superiori  
appositor  
in Reiffers  
spic, III 29  
Denati

Huius 'exemplaris longe optimi' mentionem fecit L. Carrio in epistula ad Petrum Danielem a. 1580 scripta, v. Hagen, 'Der Jurist und Philolog Peter Daniel' p. 31. Cf. praeterea Sabbadini 'Studi ital.' II 86 et libellus meus 'Untersuch. z. lat. Scholienlitt.' p. 16sqq.

Restat, ut de Westerhovii codice, olim Samuelis Hulsi Hagani, pauca addam. Ex hoc libro Westerhov haud parvum numerum lectionum enotavit simulque hanc servavit subscriptionem: 'DONATI IN ANDRIAM COMMENTVM EXPLICIT FELICITER'. In libello meo supra commemorato p. 24 sqq. exemplis sat multis allatis demonstravi codicem Hulsi num artissimo vinculo coniunctum fuisse cum codicibus *R TCF*; eundem non integrum fuisse ipse Westerhov testatur: deerant enim scholia ad Ad. III 3, 84—IV 5, 30 et ad Hec. IV 1, 27—IV 4, 1 (cf. quae de codicibus *F* et *D* exposui). Fortasse etiam in Phormionis commento lacunam exstitisse inde colligere possumus, quod Westerhov ad II 1, 4—19 codicem in testimonium non vocat.

*Codex  
Hulsi*

## II. Libri deteriores.

8) Codex Leidensis Voss. lat. Q. 24 s. XV membranaceus foliorum 239 (cf. Catal. codd. Leidens. p. 378). Hunc in Italia scriptum esse iam olim animadverterat Ritschl; quin ex Vespasiani Florentini officina prodierit, dubium esse vix potest. Excussit totum a. 1854 I. Vahlen in Schopeni usum, quam collationem Reifferscheid adhibuit. Terenti vitam Ritschelio contulit E. Mehler; praeterea Dziatzko Leidensi usus est. Ipse a. 1894 Ienae collationem feci. — Cf. 'Studi italiani' II 65; 70; Mus. Rhen. LIII 84 sq.

9) Codex Laurentianus S. Crucis 22, 6 s. XV. In folio praefixo legitur 'Iste liber fuit ad usum fratris Sebastiani de Bucellis († 1466), qui pertinet armario conventus Sanctae Crucis de florentia ordinis fratrum Minorum'. — Cf. 'Studi italiani' II 73; 'Museo italiano' III 423 sq.

10) Codex Laurentianus Faesul. 175 s. XV membranaceus. In Phormionis commento parva lacuna exstat II 3, 79—II 3, 9. — Cf. 'Studi italiani' II 53 cum adnot. 2.

11) Codex Neapolitanus V B 17 (olim 411) s. XV membranaceus foliorum 113 (cf. Iannelli, Catal. Bibl. lat. Mus. Borbon. p. 274; 'Mus. ital.' III 383 adn.). Ad Phorm. II 3, 8—10 adnotatum est 'quod est reliquum in hac scena est de loco superiori signato hoc signo  $\vee^-$ '; idem signum ad II 3, 93 appositum est. Vitam Terenti contulerunt G. Thilo (cf. Ritschl in 'Reifferscheidii Suetonio' p. 482) et H. Motz (cf. Ritschelii opusc. III 216). — Cf. 'Studi italiani' II 54; 62; 70sq.

- P** 12) Codex Parisinus lat. 7921 (olim Blaesensis 701) s. XV chartaceus foliorum 132 (cf. Catal. cod. manuser. Bibliothe. Regiae a. 1744 III 4 p. 412<sup>b</sup>). Hunc in Germania scriptum esse contendit W. Fröhner in Philol. XVIII 357, argumentis non probavit. Continet Donati commentum usque ad Ad. III 4, 34 ‘neque iners getha an captus’ (in imo margine ‘est quemadmodum’). Exaratus est a duobus librariis; altera manus incipit fol. 31<sup>r</sup>. Terenti vitam contulerunt J. Hunziker (cf. Roth in Mus. Rhen. XII 174), C. B. Hase (cf. Ritschl in Suetonio Reifiersch. 481), G. Meyncke (v. Ritschelii opusc. III 216), W. Fröhner (l. l.); post Schopenum, qui a. 1851 Parisii codicem contulit, ipse a. 1894 totum excussi. — Cf. Mus. Rhen. LII 85.
- s** 13) Codex Ambrosianus D 70 sup. s. XV chartaceus foliorum nunc 209, olim 252. Fol. 43, in quo initium vitae Terenti scriptum erat, deest; incipit fol. 44<sup>r</sup> his verbis ‘tempus qui agitant’ (= Vita c. 6) et desinit fol. 252 his ‘omnia desperantis tu iam’ (Phorm. I 4, 42). Inter Eunuchi et Adelphorum commenta librarius in margine adnotavit ‘heytō<sup>mon</sup> non inveni in exemplari’. — Cf. ‘Museo italiano’ III 394sq.; ‘Studi italiani’ II 56.
- r<sup>b</sup>** 14) Codex Ambrosianus A 144 sup. s. XV chartaceus foliorum 172. Donati commentum, quod legitur ff. 1—149 (v. infra 22), alterum sequitur eiusdem commenti fragmentum ff. 150—156<sup>r</sup> a diversa manu scriptum, quod pertinet ad Eun. V 7, 1 ‘te amat et rursus’ — Ad. praef. II 3 ‘interuentum egionis’. — Cf. ‘Museo italiano’ III 396sq.; ‘Studi italiani’ II 55.
- q** 15) Codex Ambrosianus T 114 sup. s. XV chartaceus foliorum 213, quorum primum excisum est. Incipit fol. 2<sup>r</sup> verbis ‘pro suis edere’ (Vita c. 5); post Eunuchi commentum secuntur 4 folia vacua inlustrandae Heautontimorumeni destinata (f. 112—115); fol. 111<sup>r</sup> adnotatum est ‘hic deest una commedia’ et ab alia manu additum ‘videlicet Εαντοντειμωρουμενος’. In ima pagina ultima legitur ‘1472 Ind. 5 pridie Idus aug<sup>ti</sup> theate descripsum (re- t. Sabb.) est. sit laus deo’. Praeter librarium alia manus in corrigendo codice occupata fuit, quae permultas editionis principis lectiones adscripsit; ad Hec. III 5, 8—V 1, 2, quam commenti partem editio princeps omisit, nihil enotatum. Huius libri partes quasdam contulerunt Sabbadini et Wissowa, qui Ambrosianum editionis Mediolanensis fontem fuisse suspicatur. — Cf. ‘Museo italiano’ III 393; ‘Studi italiani’ II 57; III 330.
- f** 16) Codex Ferrarensis 173 NA 6 s. XV chartaceus foliorum 293. Exhibit subscriptionem hanc ‘A Ludovico Carbone in diamantino recognitus 1477 mense Novembri’; in mar-

gine adnotaciones Carbonis leguntur. — Cf. Zachariae Iter litter. per Italiam p. 158; 'Studi italiani' II 59; III 330 adn.

17) Codex Londiniensis Burn. 267 plut. 161 E s. XV *k* chartaceus foliorum 221 (cf. Catal. of Manuser. in the Brit. Mus. I p. 68). Nonnulla excerpta H. Hilgenfeld et W. M. Lindsay cum communicaverunt.

18) Codex Dresdensis Regius D c 132 (olim Bononiensis) **D** s. XV chartaceus (nisi quod priorum 5 fasciculorum folium extreum membranaceum est) foliorum 126 (cf. Katal. d. Handschr. d. königl. öff. Bibl. in Dresden I p. 318). Scriptus est ab una manu totus, quae multis locis correcturas intulit; alia deinde manus cum hic illic textum emendavit, tum in margine varias adnotaciones adspersit; praeterea a diversa manu fol. 1<sup>r</sup> adscriptum est 'AELIVS DONATVS DE P · TERENTII VITA DEQ3 TRAGOEDIA ET COMOEDIA' et fol. 4<sup>r</sup> 'AEL · DON · COMMENT · IN · QVINQUE TERENT · COMMED.' De patria codicis edocemur hac adnotacione 'Ex Bibliotheca Reverendiss. Amedei Canonici Regularis Bononiensis Clodius Bibliothecae Regiae adquisivit'. Codex, ex quo Dresdensis descriptus est, in Hecyrae commento magnam illam lacunam habebat III 5,8—V 1,2; quae lacuna expleta est adhibito codice quodam, qui Marucelliano *F* (vel Hulsiano) simillimus erat. Hoc comprobatur et consensu lectionis et lacuna quadam inde ab IV 1,26 usque ad IV 4,1 pertinente; deinde ad IV 4, 1—77 non nisi excerpta satis exigua exhibentur, ad IV 4, 78—104 scholia omnino desunt. Scholia ad Phorm. II 3 ita ordinata sunt, ut in universum numeri versuum Terentianorum recte procedant; tamen non est difficile ad intellegendum habuisse librarium ante oculos codicem, in quo duae scholiorum series eodem modo quo in *VCFR* separatae erant. Librarius autem — non ipsius Dresdensis, sed archetypus — cum ad versum 25 pervenisset, alterius ordinis scholia prorsus abiecit, sicut et in antecedentibus non pauca omisit. Voces Graecae spatii amplissimis relictis desunt. — Dresensem a. 1854 I. Vahlen Schopeni in usum contulit, qua collatione Ritschl in vita Terenti edenda usus est; iterum vitam excusserunt E. Jungmann et L. Jeep (cf. Ritschelii opusc. III 216), sed eorum quae aliter atque Vahlen enotaverunt nihil fere in codice scriptum est (cf. R. Büttner in Annal. philol. 1894, 73 sq.). Tum Dziatzko codicem totum excusset, ipse a. 1894 et 1895 maiorem partem contuli; in iis, quae praetermisera, Vahleni accuratissima collatione usus sum. — Cf. 'Studi italiani' II 56; 63; Mus. Rhen. LII 97.

- b** 19) Codex Laurentianus 53, 31 s. XV chartaceus 157 foliorum. Fol. 1<sup>r</sup> haec leguntur 'Ad usum Conventus sante marie magdalene monachorum Cisterciensis ordinis'. Continet integrum Donati commentum exceptis scholiis ad Hec. III 5, 8—V 1, 2; Graeca omissa sunt. Cohäret autem hic liber tam arte cum editione principe, ut ex eodem quo illam fonte eum fluxisse facile possit comprobari (v. 'Studi italiani' II 79; III 333). Idem valet de proximo libro qui est
- E** 20) Codex Perusinus 396 (F. 7) s. XV membranaceus foliorum 98, quorum 77 priora continent 'DONATI GRAMATICI · COMENTVM · IN · EVNUCHVM · TERENTI.' In hoc quoque Graeca desiderantur. — Cf. Blume, Bibl. libr. msc. Italica 122; 'Studi italiani' V 289—90. — Laurentianum *b* aliqua ex parte contulit Sabbadini, ipse Ienae inspexi.
- x** 21) Codex Vaticanus Palat. lat. 1630 s. XV chartaceus. Scholia quae pertinent ad Eun. I 2, 31—II 2, 32 per errorem suo loco omissa et in ff. 1—8<sup>r</sup> suppleta sunt; ad Eun. I 2, 31 librarius adscripsit 'notandus error'. Vita Terenti fol. 13<sup>r</sup> incipit. Scholia ad Hec. III 5, 8—V 1, 2 desunt, qua de causa ff. 165<sup>r</sup>—168<sup>r</sup> scriptura vacant. Voces Graecae in lacunis omissae sunt, exceptis paucissimis in priore commenti parte (Tract. de com. — Andr. I 1, 18), quas H. Graeven excerpserit. — Cf. 'Studi italiani' II 49; 65 sq.
- r<sup>a</sup>** 22) Codex Ambrosianus A 144 sup. s. XV chartaceus foliorum 172. Continet fol. 1<sup>r</sup>—149<sup>u</sup> Donati commentum usque ad Phorm. praef. II 'falso duplice eius amore'; Adelphorum commentum inde ab I 1, 15 'ex me' (fol. 118<sup>u</sup>) deest neque quicquam adnotatum. In Hecyrae commento eadem quae in Vaticano *x* desiderantur. — Cf. 'Museo italiano' III 396 sq.; 'Studi italiani' II 55; v. etiam supra 14.
- z** 23) Codex Vaticanus lat. 1513 s. XV chartaceus 184 foliorum. Titulus fol. 1<sup>r</sup> exstat hic 'Andria Donati Grammatici in Publpii Terentii Aphricani Kartaginensis comoediis expositio'; Eunuchi commento praepositum est hoc 'Donati Grammatici in Funucum Terentii expositio'; similiter deinceps. Subscriptio fol. 184<sup>r</sup> legitur haec: 'ἔχοντα καὶ γραφοντα χριστέ υε σώσσον· τέλος.'. Ad Hec. III 5, 8, ubi in aliis maximus hiatus incipit, in margine adnotatum est 'ἰστος ὅτι ἀπὸ ἐδῶ (l. ὄδε) ἔως τὸ τέλος αὐτῆς τῆς παιδιάς ἐξ ἄλλον ἀθίβοιλον (l. ἄλλον ἀθίβοιλον) ἔγραψεν ὁ μαρτυρός'; recte hinc Sabbadini ('Studi italiani' II 50) conclusit Martinum quandam lacunam, quam in archetypo invenerat, alio codice adhibito explevisse, Vaticanum autem ex Martini libro descriptum esse.
- t** 24) Codex Vaticanus Ottobon. lat. 2023 s. XV chartaceus. Subscriptio 'L. Anconae MCCCCLXIII pridie Kalendas

aceus 157  
tus sante  
'. Con-  
ad Hec.  
hic liber  
am fonte  
ni' II 79;  
eus folio-  
· COMEN-  
eca desi-  
2; 'Studi  
arte con-  
artaceus.  
errorem  
n. I 2, 31  
i fol. 13<sup>r</sup>  
de causa  
lacunis  
nti parte  
erpsit. —  
artaceus  
um usque  
rum com-  
quicquam  
Vaticano  
; 'Studi  
ceus 184  
ammatici  
ediis ex-  
ati Gram-  
deinceps.  
 $\tau\alpha\chi\sigma\sigma\tau\epsilon$   
maximus  
 $\epsilon\pi\delta\dot{\epsilon}\delta\omega$   
 $\theta\pi\beta\omega\tau\iota\omega$   
abbadini  
lacunam,  
kplevisse,  
charta-  
Kalendas

ianuarias B. scripsit'. Hecyrae commentum lacunosum non est, sed ex summa quae inter hunc et reliquos eiusdem prosapiae libros intercedit necessitudine in archetypo lacunam illam fuisse haud scio an iure concludatur. Continet pauca Graeca (usque ad Andr. I 1, 91), quae H. Graeven meum in usum excerpserunt. — Cf. 'Studi italiani' II 55; 71—73.

25) Codex Malatestianus XXII. 11. V s. XV membrana- **M** ceus foliorum 163 (cf. Muccioli, Catal. cod. mss. Malat. II 149; Zazzeri, Codici e libri della bibl. Malat. 1887 p. 431; 438). Sabbadinio teste in hoc libro confiendo tres manus occupatae fuerunt: *Man. 1* scripsit Eunuchum, Adelphos, Hecyram usque ad III 5, 8 'quae volumus dicere' (= fasc. V—XIII [a—i]); tum spatio duorum foliorum et dimidii vacuo relichto Phormionis commentum transcripsit (= fasc. XVI—XVIII [k—m]). Eadem librario tribuit Sabbadini eam partem codicis, quae vitam Terenti, tractatus de comoedia, Andriae commentum continet; haec olim in fine addita fuisse constat (fasc. I—IV [n—q]). Vocabula Graeca, plerumque relictæ lacuna, omissa sunt, nisi quod initio pauca (atramento scripta) leguntur atque eadem fere, quae in Vaticanis t et z reperiuntur. *Man. 2* Hecyrae commentum ab III 5, 8 usque ad IV 1, 20 'sed ne tuum' supplevit (= fasc. XIII extr.) et quae a *man. 1* scripta erant, multifariam correxit saepeque variam lectionem adiecit. *Man. 3* reliqua Hecyrae partem (inc. 'sed ne tantum') scripsit (= fasc. XIV et XV). Praeterea tres manus ab illis diversae codicem suppleverunt vel correxerunt: *Man. 4* magnam partem voca- **M** bulorum Graecorum, quae librarius omiserat, partim in contextu partim in margine minio supplevit; *Man. 5* quae ad Andr. III 1, 6 deerant ('suscipi — tollere') addidit; *Man. 6* Phorm. II 1, 22 'socratis' in 'isocratis' correxit. Codicem, in quantum quidem a manu prima prefectus est, ante a. 1457 scriptum esse testimonio est epistula Malatestae Novelli († 1465; de epistula cf. 'Museo italiano' III 423; 'Studi italiani' II 52), qua hic Cosimo Mediceo petenti se codicem missurum promittit, simul autem codicem mendosissimum esse seque Aurispam adiisse scribit, ut eius librorum auxilio menda tollere licaret. Unde Sabbadini conclusit correcturas et supplementa a *man. 2* et *3* Malatestiano illata ad Maguntini codicis apographum Aurispae referenda esse, Malatestianum ipsum (*man. 1*) aliquo modo ad eiusdem apographum libri Carnotensis redire. Simul ille vir doctissimus eum codicem, cuius ope **M** emendatus atque auctus est, Vaticano t simillimum fuisse monuit. Partem codicis **M** contulit Sabbadini, Graeca mihi excrupsit I. Kurth. — Cf. 'Museo italiano' III 423 sq.; 'Studi italiani' II 50; 65 sq.

**O** 26) Codex Oxoniensis Lincoln. lat. 45 s. XV membranaceus foliorum 217 (cf. Catal. codd. Oxon. I 31). In folii praefixi pagina auersa legitur 'Vespasianus Librarius Florentinus fecit scribi florentie'. Titulus hic est: 'CLAVDII · DONATI · HONORATISSIMI · GRAMATICI · PREFATIO · SUPER TERENTIO · ET PRIO · IN ANDRIA · INCIPIT FELICITER'; Phormionis commento subscriptum est 'Explicit phormio Donati clarissimi'; reliquos singulorum commentorum titulos subscriptionesque hic commemorare opus non est. Post Andriae prologum fol. 9<sup>u</sup>—10<sup>u</sup> legitur magna illa interpolatio 'Sunt qui habent et versus — redeamus ad Donati commentum', quam exscripti in Mus. Rhen. LII 87, ubi et aliorum interpolationum mentionem feci. Insignis est duabus lacunis ad Hec. III 5, 8—V 1, 2 et ad Phorm. II 1, 4—19 (nullo spatio relictio); in Phorm. II 3 scholiorum ordines nondum confusi sunt. Graeca vocabula in lacunis omissa sunt. In tractatu supra commemorato Ormannus quidam appellatur, qui quis fuerit mihi non constat; fortasse idem fuit atque Ormannus Erfordensis, qui scripsit codicem Farfensem 8 eiusdem saeculi, glossas et Pauli differentias continentem, sed ne de huius quidem persona quicquam notum est. Contuli quasdam codicis *O* partes Ienae a. 1895. — Cf. Dziatzko, Ann. philol. suppl. X 663, qui Bentleium hoc libro usum esse ostendit; 'Studi italiani' II 49; 65; 69; Mus. Rhen. LII 86 sq.

**a** 27) Codex Laurentianus 53, 9 s. XV membranaceus 127 foliorum (cf. Bandini, Catal. Bibl. Medic. Laur. II 604). Est hic liber Oxoniensi *O* tam similis, ut dubium esse non possit, quin in eadem Vespasiani officina ex eodem archetypo descriptus sit; quamquam non desunt, quibus inter se differant, qua de remox dicendum erit. Fol. 217<sup>u</sup> adscriptum est 'LIBER PETRI DE MEDICIS COS. F.', unde appetat codicem ante a. 1469, quo ille diem supremum obiit, esse scriptum. Laurentianum a. 1895 Ienae inspexi atque nonnulla enotavi. — Cf. 'Studi italiani' et Mus. Rhen. I. s. I.; eiusdem libri mentionem fecit Lindenbrog Observat. 631.

**m** 28) Codex Laurentianus 53, 8 s. XV chartaceus foliorum 118 (cf. Bandini, Catal. etc. II 604). In calce haec legitur subscriptio 'Mathias lupius · plebanus areolensis scripsit pro bibliotheca sua geminianensi · M<sup>o</sup> quadragesimo quinquagesimo nono · die VII aprelis'. In Hecyrae commento post verba 'quae uolumus dicere' (III 5, 8) tria folia vacua relicta sunt a librario, in quibus alia manus s. XVI vel XVII scholia usque ad finem huius scaenae supplevit. Tum in proximo folio ad V 1, 1 adnotatio exstat a Donati commento aliena; sequitur genuinus textus inde ab V 1, 2 'Nec pol me multum fallit'. In Phormionis commento scholia ad II 1, 4—19 non desiderantur; scholiorum ad II 3 ordines confusi sunt. Post Andriae prologum

eandem exhibet interpolationem quam in *O* et *a* invenimus. — Cf. 'Museo italiano' III 423; 'Studi italiani' II 57; Mus. Rhen. LII 91.

29) Codex Vaticanus Ottobon. 2070 s. XV. In prima *n* huius libri charta legitur 'Ex codicibus Ioannis Angeli ducis ab Altaemps' († 1681). Post Hec. III 5, 8 sequitur spatium folii unius et dimidii, tum ad V 1, 1 eadem quae in *m* interpolatione; ultimo huius comoediae scholio addita sunt haec: 'textus tamen talis habetur sequor equidem plus hodie boni feci impudens quam sciens ante hunc diem umquam. Vos valete et plaudite. Calliopius recensui'. In Phormionis commento hic cum codice *m* prorsus consentit; idem valet de interpolatione, quae post Andriae prologum inserta est. — Cf. 'Studi italiani' II 58.

Praeter eos quos supra enumeravi atque descripsi nonnulli commemorandi sunt codices, qui nullius omnino pretii ad crisin factitandam aut sunt aut esse videntur; ex parte enim minus mihi innotuerunt, quam ut certam de eis proferam sententiam.

30) Codex Vaticanus Regin. lat. 1673 s. XV charta-*G* ceus 215 foliorum. Titulum 'Donati grammatici in sex P. Terentii Afri comoedias examinata interpretatio' ex Calphurnii editione sublatum manus recentior praeposuit. Hic codex propter duas res memorabilis est: primum quod in Phormionis commento ad II 3 scholia similiter atque in *D* in ordinem redacta sunt, quia in re certum vestigium pristinae formae relictum est; deinde quod duae manus a librarii manu *G*<sup>2</sup> diversae haud paucas voces Graecas, quas man. 1 solito more in lacuna omiserat, supplererunt atque eas ex optimae notae codice ut videtur desumptas (ad tractatus, Andr., Eun., Ad., Hec.). Has partim Fr. Spiro partim G. Wissowa exscriperunt. — Cf. 'Studi italiani' II 56; 62.

31) Codex Vaticanus Urbin. lat. 354 s. XV membranaceus foliorum 211. Post Andriae praefationem legitur hic titulus (fol. 6<sup>r</sup>): 'Aelii Donati Grammatici Clarissimi in sex P. Terentii Afri Comoedias examinata interpretatio'; fol. 88<sup>a</sup> post Eunuchi commentum inserta est 'Io. Calphurnii Brixensis Heautontimorumen examinata interpretatio'; ordo fabularum sic procedit: Andria Eunuchus Heautont. Adelphoe Phormio Hecyra; denique post Phormionis commentum legitur (fol. 210<sup>r</sup>—211<sup>r</sup>) Calphurnii epistula 'Constat antiquos scriptores — Vale decus Litterarum' (v. Loeffler, De Calphurnio Ter. interpr. 40). Haec omnia satis declarant Vaticanum editioni Calphurnianae coniunctissimum esse, id quod nec Ritschelium fugit (v. Sueton. Reiff. 483) et Sabbadini sic explicuit, ut Vaticanum ex Calphurnii autographo descriptum esse diceret; sed rectius cum Wissowa codicem ex

ipsa editione derivatum esse sumemus, nam et subscriptio ad Terentium et Donatum spectat et didascalias Adelphorum Phormionisque, quas exhibet, in Calphurnii autographo commenti Donatei extitisse vix est credibile. Ritschelio variam lectionem ad Terenti vitam exscripsit Ribbeck.

32) Codex Matritensis Reg. 2 B 4 s. XV/XVI. Titulus idem est qui Urbinatis codicis, ut facile nascatur suspicio hunc quoque ex Calphurnii editione transcriptum esse. — V. Loewe, Bibl. patr. lat. Hispan. 465; Mus. Rhen. LII 98.

33) Codex Escurialensis E III 3 s. XV. Cf. Dziatzko, Ann. philol. suppl. X 695 adn. 1; 'Studi italiani' III 330 adn. 1.

34) Codex Londiniensis Burn. 171 plut. 162 D s. XV chartaceus foliorum 205 (cf. Catal. of Manusc. in the Brit. Mus. I p. 54). Continet Hecyrae commentum integrum; in archetypo scholiorum series ad Phorm. II 3 nondum fuisse confusas sunt quae doceant. Textus forma ei quam Dresdensis exhibet similis.

35) Codex Londiniensis Add. 21083 plut. 227 A s. XV chartaceus 85 foliorum (cf. Catal. of Add. to the Manusc. in the Brit. Mus. [1875] p. 319). Continet Eunuchi et Phormionis commenta. Ex iis quae H. Hilgenfeld et I. P. Gilson mecum communicaverunt hunc codicem in Eunicho saepius ad melioris notae libros accedere, in Phormione saepenumero misere interpolatum esse mihi persuasi.

36) Codex Londiniensis Add. 11906 plut. 276 G s. XV membranaceus foliorum 85 (cf. Catal. of Add. etc. [1850] p. 17). Continet Terenti fabulas et ab eadem manu Donati commentum in marginibus adscriptum. Fol. 1<sup>r</sup> legitur 'Jeronus minato est 1471'.

### § 3.

#### De codicis inter se rationibus.

Omnium qui ad nostram aetatem pervenerunt librorum manuscriptorum antiquissimi sunt codices *A* et *B*. Qui etsi non desunt quibus differant, tamen in universum tam arte coniuncti sunt (v. app. crit. ad Andr. II 1, 23 sqq.), ut non temerarium esse videatur eos ad communem fontem referre, praesertim cum archetypum ad Andr. II 1, 24—29 lacunosum fuisse uterque testetur. Sed quominus hos libros recta via ex illo archetypo prodiisse sumamus, obstat inter alia diversus commentorum ordo, nam in *A* <sup>af. IX</sup> Andriam sequitur Adelphoe, at in *B* Andriam excipit

Eunuchus. Quia in re uter genuinum exhibeat ordinem, difficile est ad dijudicandum; verumtamen ut contra Umpfenbachium (praef. XL) et Leonem (Mus. Rhen. 38, 324) in codice *B* communis archetypi ordinem esse servatum putarem, cum consensus reliquorum librorum tum illud effecit, quod *Rabbow* (p. 331) argute observavit eum qui ante saeculum nonum vitam Terenti Ambrosianam confecit ordinem fabularum exhibere hunc: Andria Eunuchus *Adelphoe Heautontimorumenos Hecyra Phormio*. Quem ordinem quin ex Donati commento repetiverit grammaticus ille nescio quis, vix potest esse dubium, quippe qui totus ex illo commento pendeat. Itaque in eo quo usus est exemplari post Andriam invenit Eunuchum, Heautontimorumenon autem, cuius commentum iam deperierat, ipse in enumeratione sua superaddidit. Huic testimonio alterum fortasse accedit, quod petitur ex scholiis codicis Victoriani s. X scripti, quo de v. infra § 5. Hinc sequitur in libro quodam, qui codicem *A* aetate aliquantum superabat, eundem exstitisse ordinem quem codex *B* testatur; unde in eo exemplari quod inter *A* et communem librorum *AB* fontem intercedit ordinem commentorum commutatum esse colligamus necesse est (cf. Mus. Rhen. LII 94). Ex iis autem de quibus modo disputavi codicibus *A* et *B* reliquorum omnium derivatum esse nullum vel inde manifestum est, quod uterque non nisi partem commenti satis exiguum continet. — Codices *CF* ad codicem Maguntinum redire supra iam vidimus; ad eundem autem fontem propter summam quae appareat congruentiam revocandi sunt libri *T* et *R*; quorum ille quidem ex eodem quo *CF* apographo (Decembrii?) pendere videtur (cf. ad Euanth. III 5), hic ni fallor ex ipso Maguntino transcriptus est. Cui opinioni vix obstat, quod in *R* nonnullae lacunae reperiuntur, quia in archetypo quid scriptum esset dignosci iam non poterat (Phorm. praef. III 4; prol. 11). Nam et ipse Candidus 'cariem vetusti operis' queritur et Riccardianum aliquanto post illius apographum constat esse descriptum; sic evenire potuit, ut quae iam ante dignosci vix potuissent, spatio

? Rabb. 332

sic Rabb.

dimidii fere saeculi interposito prorsus evanuerint. Sed sive hoc sive alio modo res explicanda est, hoc quidem vel ex ipsis libris *CF* dilucide appetet codicis Maguntini propriam fuisse lacunam illam ad Phorm. II 1, 4—19, quam idem exhibit cod. *R*: quam lacunam ad iacturam unius folii vel duorum in ipso Maguntino vel in eius archetypo factam recte revocavit Sabbadini ('*Studi ital.*' II 74 sq.). Eandem autem lacunam reperimus in eo codice, ex quo libri *Oa(mn)* propagati sunt, ubi tamen altera accedit, qua scholia ad Hec. III 5, 8—V 1, 2 hausta sunt: quae quin ex simili iactura, duorum scilicet vel quattuor quaternionum, repetenda sit, dubitari non potest. Iam videas quaeso Laurentium Vallam ad Ioannem Arretinum (qui vulgo Tortelli audit) a. 1447 haec scribentem ('*Museo ital.*' III 387): 'non aliud scribo quam quod ab amico ut scriberem iniunctum est, ut quaeras a domino Columnensi sive quis alias est qui Donatum super Terentium habet, numquid integer Donatus reperiatur et an super omnes comoedias scripserit. Nam hic amicus meus apud Carnutum vidi hunc auctorem sed sine tertia comoedia '*Εαντροτιμωρουμένω* et non integra quinta '*Ἐννυρῶ* itemque cum defectu in sexta, quae dicitur *Φορμίων*'. Nonne isdem verbis archetypus librorum *Oa* optime describitur? Porro audiamus Aurispam (l. c. 388), qui a. 1451 Antonio Panormitae scribit: 'Iamdiu scieram Carnuti in Gallia Donatum in Terentium in bibliotheca ecclesiae maioris esse. Eum curavi ut transcriberetur mihi que hoc Romanum transmitteretur, quod iam factum est et eum codicem [i. e. apographum] hic habeo et dedi operam ut transcriberetur; quod cum erit factum, et cito fiet, originalem ad te mittam non dono sed ut et alii copiam habeant' et paulo post 'Superiore hebdomada item ad te scripsi me iam commentum Donati in Terentium habuisse, quod Carnoti ut rescriberetur curavi. Facio item transscribi, ut ipsius copiam secure amicis facere possim, ne forte denuo mihi eveniret quod Guarinus [Veronensis], Carolus [Marsuppini] et tu mihi fecistis'. En habes apographum

codicis Carnotensis in Italiam translatum, habes archetypum librorum *Oamn* (=  $\omega$ ), qui ut aliis de causis verisimile fit, non ex altera transcriptione, verum ex ipso apographo derivati sunt. Iam nascitur quaestio, quae inter Maguntinum et Carnotensem intercedat ratio; nam eos artissime cohaerere vel summus inter *TCFR* et *Oa*, in quantum quidem hi pristinam scripturam servaverunt, docet consensus (cf. Mus. Rhen. LII 90). Atque rem iterum iterumque reputanti hoc mihi quam proxime ad verum accedere visum est: in ipso codice Carnotensi fasciculorum compages laxata erat, quo factum est, ut primum folia, quibus scholia ad Phorm. II 1, 4—19 continebantur, exciderent. Quibus amissis ex codice iam mutilato ( $\pi^1$ ) descriptus est codex Maguntinus. Deinde sive paulo sive multo post illi quoque fasciculi interierunt, in quibus ea commenti pars scripta erat, quae pertinet ad Hec. III 5, 8—V 1, 2. Hinc factum est, ut Vallae amicus cum Carnotensem ( $\pi^2$ ) perlustraret, primo statim obtutu et in Hecyra et in Phormione librum illum non esse integrum animadverteret. Minime igitur Sabbadinio assentiri possum, qui contendit ('Studi ital.' II 53) observasse illum Vallae amicum inde a Phorm. III 1 scholia paulatim rarescere. Hic alia res commemoranda est atque ea summi momenti ad codicem inter se rationes melius perspiciendas. Quattuor illos libros manuscriptos *Oamn* ad eundem redire fontem ( $\omega$ ) cum aliae interpolationes omnibus communes docent, tum qui post Andriæ prologum in omnibus legitur tractatus, quem in Mus. Rhen. LII 88sq. transcripsi. Quamquam si hos codices inter se comparamus, mira quaedam cognoscitur dissensio: ac pri-  
mum quidem in codicem *O* haud paucæ lectiones irreprese-  
runt peculiares ei librorum generi, cui assignandi sunt e. g.  
codices *LcdN* ( $\varphi$ ); deinde in *a* iam multo maiorem talium  
lectionum numerum invenimus; postremo codices *mn* prope  
toti in illam recensionem abierunt, nam non solum Phormionis lacuna illius auxilio expleta est, sed etiam in eodem  
commento ad II 3 idem atque in *LcdN* exstat scholiorum  
ordo, cum in *Oa* adhuc distinctæ sint series adnotationum,

sicut in libris Maguntinae prosapia. Hinc efficitur exstisse iam tum cum *O* describeretur recensionem illam cuius testes sunt codices *LcdN*, tantamque fuisse illis temporibus auctoritatem eius, ut pristinam textus formam paulatim submoverit. Quod comprobatur exemplo codicis *D*. Hic quoque, cum in eius archetypo et Hecyrae commentum lacunosum — quam lacunam adhibito codice quodam qualis est *F* expletam esse facile appetet — et scholia ad Phorm. II 3 nondum in unum confusa fuerint, ad eundem fontem revocandus est, ex quo *Oamn* fluxerunt. Idem *D* quamquam in universum cum libris *LcdN* sim. consentit, tamen non ita raro ab isdem dissentit et ad codicum *TCFR* memoriam se applicat (cf. etiam ad Phorm. V 8, 53). Idem fere valet de communi fonte codicum *bE* et editionis principis; in quibus Hecyrae lacuna adhuc exstat (*E* hic deest), in Phormionis vero commento ad II 3 ordo scholiorum quem exhibent *LcdN* iam receptus est.

Quod ad codices *xr<sup>a</sup>ztM* attinet, simillime res se habet; in aliis enim (*xr<sup>a</sup>*) Hecyrae lacuna etiam nunc cognoscitur, in aliis (*ztM*) partim in ipsis partim in proximo fonte expleta est atque expleta quidem ex libro eiusdem recensionis, cuius sunt *LcdN*. Itaque dubium esse non potest, quin hi omnes ad Carnotensis apographum redeant; unde necessario sequitur scholia ad Phorm. II 1, 4—19 in communi archetypo ex illa recensione cuius saepius mentionem fecimus esse restituta. Atque hoc ni fallor comprobatur eo, quod et in *LcdN* et in *Db ed. pr. xr<sup>a</sup>ztM* desideratur scholion ad Phorm. II 1, 7, quod in codice quodam propter δημοιοτέλευτον ('causam tradere') videtur intercidisse. Quae cum ita sint, haud scio an nostro iure sumamus in hanc quoque Carnotensis stirpem similiter atque in *Oamn* gradatim illatam esse deteriorem recensionem. Cuius rei initium fortasse factum est in illa transcriptione, cuius Aurispa l. s. c. meminit. — Iam ad quaestionem difficultiam pervenimus, unde oriunda sit recensio illa saepius commemorata. Qua in re primum statuendum est factam esse eam ante a. 1451, quo anno Aurispa Carnotensis

apographum transcribendum curavit; simul iis quae supra exposuimus convincitur quod Sabbadini ex consensu qui est e. g. inter *N* et *V* conclusit: ut *xxtM*, sic et *LcdN* ad archetypum in Hecyrae commento lacunosum redire, cuius rei nec vola nec vestigium appetet. Itaque cum Carnotensis exclusus sit, restant qui in censem veniant codices Maguntinus et *V*; uterque Hecyram habet integrum, at in Phormionis commento scholia ad II 1, 4—19 in illo desiderantur, in hoc exstant, sicut in libris *LcdN* sim. Qua de causa facile sibi persuaserit quispiam Vaticanum vel eius archetypum fundamentum praebuisse, praesertim cum aliae res accedant; nam primum et in *V* et in *LcdN* scholion ad Phorm. II 1, 7 deest; tum ad Hec. V 3, 1 in utrisque pauca verba desiderantur, ubi in *V* librarius adnotavit 'deletum propter vetustatem'; postremo in Phorm. praef. III 5 sine dubio *V* eandem praebet perturbationem, quam in *LcdN* invenimus. At contra non desunt, quae illi opinioni adversentur; ex eis quae supra de codice *V* enarravimus appareat librario huius libri iam praesto fuisse exemplar illius recensionis eundemque ante oculos habuisse confusos scholiorum ad Phorm. II 3 ordines. Hinc enim explicatur, quod prioris ordinis scholium ad Phorm. II 3, 29 in posteriore repetitum est, nam in libris qui confusam exhibent recensionem scholion 29 A legitur post 28<sup>3</sup> B; hinc porro explicandum, quod in *V* sicut in *LcdN* post schol. 12 A additum est 'insimulo genetivo iungitur', quae verba codices *RCF* non agnoscunt (eadem adnotatio legitur in *D*, simillima in *Oa* in altero scholiorum ordine, sed hos tres libros ex recensione *LcdN* pendere supra vidimus). Denique si addimus lectiones illius recensionis a correctore in codicis *V* partem priorem interdum neglegenter esse translatas, iam haec opinor sufficient, quibus *V* ipsum librorum *LcdN* sim. fontem non fuisse demonstretur; sed quominus ex archetypo codicis *V* recensionem illam derivatam esse sumamus, nihil videtur obstare. — Iam pergamus ad Maguntinum, quem a. 1433 ab Aurispā repertum esse commemoravimus. Eundem Aurispā sibi

Edu. III 1  
IV 5,  
IV 7,  
IV 7, 13  
III 3, 35  
III 4, 47

apographum confecisse cognoscitur et ex ipsius et aliorum epistulis, de quibus cf. Sabbadini, 'Biogr. di Aurispa' p. 83—85, 'Museo ital.' III 385sqq., 'Studi ital.' II 17sq. Simul edocemur Aurispam apographum suum Carolo Mar-supplini tunc Florentino tradidisse, qui illud transcriberet id est 'emendaret et in digniorem aspectum' redigeret (cf. 'Mus. ital.' III 418); quod fere intra annos 1439 et 1446 videtur esse factum. Ex Vespasiani autem Florentini officina prodit *V*, prodierunt sine dubio *LcdN*, prodierunt denique *Oa*; eundem porro Vespasianum familiarissime usum esse hominibus doctis litteratisque, quos Mediceorum eximia liberalitas Florentiam convocaverat, res est notissima. Itaque non prorsus a veritatis specie videtur recedere conjectura ipsi Marsuppinio deberi eam de qua nunc agitur recensionem ( $\varphi$ ). Quae si ita sunt, e codice *V* Phormionis lacunam, quam ut ipse Maguntinus ita Aurispae apographum habebat, expletam esse sumamus necesse est; cui opinioni fortasse favet omissum ad Phorm. II 1, 7 scholium, quod unus servavit Cuiacii codex, qui, ut hoc statim addam, quam proxime accedit ad librorum *R TCF(Oa)* memoriam.

Restat ut doceam quae inter meliores et deteriores codices intercedat ratio. Atque ne longus sim, pauca afferam exempla insigniora, quorum numerum nullo negotio augere licet.

*Meliores libri:*

*Andr. prol. 12 ergo et poema oratio.*

„ *IV 5, 19* maior et ad summam aetatis refertur et ad comparationem pariliter positum.

*Deteriores libri:*

*ergo in poemate oratio est.*

maior — pariliter et comparative et similitudinarie(!) positum (cf. *Arch. lexicogr. lat. XII* 284; 400).

*Eun. III 1,34* ideo quia scorta sunt dura coria. a parte ergo sui meretrices scorta dicuntur.

et dicitur scortum quia tunc aperiuntur dura coria dicta scorta. meretrices ergo sui scorta dicuntur.

„ *IV 5,2* sed ut hoc ipsum iam erroris esset ac uinolentiae.

sed — uinolentiae accumulatio.

„ *IV 7,6* proprio manipulo milites centum Romani et Latinis sub uno centurione, ex manipulo herbae, quem pro signo sequabantur.

proprio manipulo est militis: cum Romani et Latinis sub uno centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi illi sertam uel coronam ex manipulo vel alio huius modi conficiebant, quae pro signo sequebantur.

„ *IV 7,39* et miles de his officiis, quae suo nomine contumeliosa sunt.

miles contumeliosa dixit. ab his enim officiis, qui suo nomine uocandi sunt, data uocabula contumeliosa censentur.

*Ad. III 3,35* sic et in Eunuchō: et nominatiūs et septimus casus potest esse.

sic et in Eunuchō ‘eum se intendit esse, ut est dementia’(!). et nominatiūs casus potest esse et ablatiūs.


„ *III 4,47* idonea causa aduersus uiuos faciendo pro mortuo scilicet.

idonea — uiuos querimoniam faciendo — scilicet.

- Ad. IV 5, 61* quam nihil im- quam — patris fiat.  
periose ac pro  
auctoritate pa-  
tris!
- “ “ non ‘ne sis so- non dixit ‘ne sis socors’.
- “ *IV 7, 18* nihil aliud uo- nihil — Demea quam ut —  
lebat Demea  
nisi utsaeuiret Micio.
- “ *IV 7, 34* equus durius. equus ligneus.  
“ *V 3, 10* putare est falsa putare — falsa et infructi-  
et cassa a ueris fera(!) — resecare (*cf.*  
et utilibus re- *Arch. lex. lat. l. c.*).
- Hec. I 2, 75* uigilanter quod uigilanter quod est ‘integralm’  
est ‘integralm’ specificat(!), id est talem  
ut accepi a qualem accepi a suis: potuit  
suis: potuit etc. (*cf. Arch. lex.*  
enim et uitia- *lat. l. c.*.)  
tam accepisse.
- “ *III 2, 21* et rō ‘dic mihi’ et — mihi: dic uerbum est  
curiosius in- instantis audire et curio-  
terrogantis est. sius interrogantis.
- Phorm. prol. 2* ‘transdere’ ue- ‘transdere’ — lenius enuntia-  
teres sonan- mus ‘tradere’.
- “ *I 2, 1* tertia persona. tertia persona de se loquens  
“ *I 2, 3* ordine. usus est.  
“ *II 1, 23* quam pacato ordinem seruauit.  
ore. quam miti pectore.

Quae qui consideraverit, facile intelleget, quam bene  
in hanc Italorum recensionem quadrent, quae apud Voigtum

(‘Wiederbelebung d. class. Altert.’ II<sup>3</sup> 385) legimus: ‘Ihr Resultat war ohne Zweifel eine Ausbesserung und Ebenung des Textes durch eine Fülle von bunten, aus dem allgemeinen Sprachgefühl entsprossenen Conjecturen’!



## § 4.

## De editionibus.

Quamquam Donati commentum circiter quinquagies typis mandatum est — cf. Westerhovii edit. I, LXXIX sqq., Ritschl in Suetonio Reiff. p. 483 sqq. (= Opuse. III 218) —, tamen hic rem paucis absolvere licet, nam editiones, quae alicuius momenti videantur, admodum paucae sunt.

Donati comm. rec. Wessner.

**ed. pr.** 1) Editio princeps ex eadem officina prodiit, cui Italia primum librum typis descriptum, eiusdem scilicet Donati artem grammaticam, debet: nam foras eam dederunt Conradus Sweynheym et Arnoldus Pannartz Romae a. 1472. Cum hac de principatu contendit editio Veneta Vindelini Spirensis quam procuravit Raphael Zovenzoni. Quae quo anno facta atque emissa sit etsi prorsus ignoramus, tamen omnium qui harum rerum periti sunt consensu ad Romanam quam proxime accedit, nisi forte ut bonitate ita etiam aetate eam superat. Ab hac Veneta totam pendere editionem anonymam, quae Mentelino Argoratensi assignari solet, vel ipsi versus subscriptionis loco additi produnt (cf. 'Studi italiani' II 76 sq.). Romana autem et Veneta ut inter se quam maxime consentiunt, ita neque haec ex illa neque illa ex hac fluxerunt, sed ad eundem librum manuscriptum redeunt, ad quem codices *b* et *E*. Codex ille, ex quo derivatae sunt, ad deteriorior librorum genus pertinebat et in Hecyrae commento magna illa lacuna (III 5, 8 — V 1, 2) laborabat; ad Phorm. II 3 scholia eodem modo confusa erant atque in reliquis eiusdem condicionis libris. Eo autem editiones a recentioribus libris manuscriptis differunt, quod satis multis voces Graecas continent, quas tamen magnam partem interpolatori deberi luculente demonstravit Sabbadini ('Studi ital.' III 333). Quod cum etiam de multis aliis lectionibus harum editionum propriis valeret, rectissime Dziatzko 'principi editioni non plus fidei deberi quam cuiquam noviciorum codici' statuit (edit. Terent., Lipsiae 1884 praef. p. X adnot. 6).

**ed. Mediol.** 2) Editio Mediolanensis Antonii Zaroti a. 1476. Haec cum aliis rebus tum eo a principe differt, quod prima Hecyrae commentum integrum exhibet: unde sequitur eam ad diversum fontem redire. Sabbadini ('Studi ital.' II 80) consensum quendam inter Mediolanensem et codicem Vaticanum *G* indicavit, sed illam ex hoc derivatam esse ipse negavit; editorem codice Ambrosiano *q* usum esse fortasse recte Wissowa suspicatus est.

**Calph.** 3) Editio Veneta a. 1476 et Tarvisiana a. 1477 Ioannis Calphurnii Brixiensis (v. Loeffler, De Calphurnio Terentii interprete, Diss. Argent. 1882). Haec editio in universum nititur editione principe, cuius lacunam in Hecyrae commento Calphurnius explevit adhibito quodam libro manuscripto, qui cum codicibus *t M* artissime cohaeret (v. 'Studi ital.' II 82). Praeterea ordinem comoediarum editor mutavit, ut sic procederet: Andria Eunuchus Heautontim. Adelphoe Phormio Hecyra, sicut etiam in Terenti editione, quacum Donati commentum coniunctum est. Ad Heautontimorumen cum Donati interpretationes iam non exstant, Calphurnius ipse commentarium composuit, quem maximam partem ex reliquis Donati commentis compilavit; cf. Loeffler l. c. 47 sqq. Itaque editioni subscriptum est hoc:

'P. Sexti Terentii Afri cum Aelii Donati grammatici examinata interpretatione finis. Insuper addita est Calphurnii in Heautontimorumenon Terentii accurata expositio'. Denique editioni epistula praefixa est 'Calphurnius Brixiensis Marco Aurelio viro paeclarissimo salutem.' etc., quam edidit Loeffler p. 40—45.

Ab hac Calphurnii editione pendere codicem Vatic. Urbin. 354 iam supra commemoravimus; idem valet de codice Boendermakeri, quo Westerhov usus est (v. 'Unters. z. lat. Scholienlitt.' p. 24) et de codice quodam Gandaviensi nunc ut videtur deperdito, cuius collatio a Gronovio facta (cf. 'Unters.' etc. p. 27) exstat in editione Lindenbrogiana Leidensi (Gronov. nr. 12). Hoc autem propter Ribbeckium moneo, qui in edendis comico-rum Romanorum fragmentis hac Gandaviensis collatione usus est. Relinquitur ut addam Matritensem quoque Donati codicem videri ex Calphurnii editione esse derivatum (v. supra § 2, 32).

4) Editio Parisina a. 1529 (1536, 1541) Roberti Stephani. De subsidiis suis editor in praefatione pauca indicat, cum loquitur de 'codicibus antehac excusis' et de 'vetusto exemplari manuscripto'; illarum in numero sine dubio fuerunt editio princeps et Mediolanensis, de hoc quid iudicandum sit supra (§ 2) exposuimus. His igitur subsidiis nisus et adhibitis Terenti aliorumque scriptorum operibus Donati commentum ita in integrum restituere conatus est Stephanus, ut scholia secundum ipsius Terenti verba in ordinem redigeret, lemmata instauraret, interpretamenta emendaret atque suppleret, Graeca reponeret, sententias auctorum saepenumero singulis litteris signatas integras redderet. Qua in re etsi Sabbadinus (l. c. 81 sq.) concedendum est saepenumero Stephanum errasse multis que locis vim potius quam medelam adhibuisse, tamen negari non potest, quin optime de hoc commento meritus sit; ut alia mittam, vel hoc ei laudi vertendum est, quod saepissime abiectis pravis superiorum editionum lectionibus ex optimo nifallor codice suo genuinum textum exhibuit, quo factum est, ut Parisina editio omnes quae ante id tempus virorum doctorum manibus versabantur editiones longe superaret.

5) Editio Parisina a. 1602 et Francofurtensis a. 1623 *Lindenbr.* Friderici Lindenbrogi. Quod ad ipsum commenti textum attinet, haec Lindenbrogii editio in universum non ita multum differt a Stephaniana, nisi quod hic illic haud pauca ex novis subsidiis manuscripts emendata vel suppleta sunt. Sed Lindenbrog non solum quibus usus sit codicibus accuratius indicavit, verum etiam primus satis multas lectiones librorum suorum in observationibus enotavit, unde qualia ei manuscripts subsidia praesto fuerint aliquo modo statuere possimus. Ipse in praefatione haec exponit: 'Donati duo exemplaria habuimus et illa Pithoeorum accurata diligentia ad MSS. codd. Antonii Contii

et Iacobi Cuiacii Antecessorum Bituricensium collata, quorum auxilio in hoc commentario plurimae lacunae suppletæ aliaque infinita errata integratæ sua restituta sunt. Iuverunt etiam nonnihil collectanea quaedam quae in bibliotheca regia Parisiensi, et schedæ vett. Pet. Danielis Aurelianæ viri humannissimi.<sup>1)</sup> De Pitheorum collatione iam supra verba fecimus; schedis autem Petri Danielis cod. Parisinum *A* significari rectissime demonstravit Dziatzko (*Mus. Rhen.* XIX 450sq.). Sed in hoc errasse mihi videtur vir doctissimus, quod de Lindenbrogii collectaneis protulit: ‘sie waren eine gedruckte Donatausgabe mit handschriftlichen Varianten, wahrscheinlich auf Grundlage des cod. 7920, und mit Conjecturen.’ Nam cum Lindenbrog, ut ipse in praefatione docet, cod. Paris. 7899 Terenti ad emendandas comoedias adhibuerit, in hoc autem codice, quem editor in observationibus Ms. R(egium) appellat, permulta Donati scholia (usque ad Andr. I 5, 10) exhibantur (cf. Umpfenb. praef. XXVI; Schlee, *Scholia Terentii* 38; Chatelain, ‘Paléogr. des class. Lat.’ ad tab. VII), mihi quidem veri videtur esse simillimum his excerptis cod. Parisini 7899 usum esse Lindenbrogium (v. ‘Unters. z. lat. Scholiennitt.’ 22sq.; cf. etiam, quae in observ. p. 640<sup>a</sup> de Sulpicij periocha ex Ms. R. affert Lindenbrog et Umpfenbachii adnotationem de codice *P* p. 430). De altero Cuiacii codice Lindenbrogio permisso v. Hagen, ‘Der J. u. Ph. Peter Daniel’ p. 31.

**Westerh.** 6) Editio Hagana a. 1726 Henrici Westerhov. Praeter duos libros manuscriptos, alterum Hulsi alterum Boendermakeri, de quibus v. supra (§ 2 et § 4, 3), editor nonnullas editiones vetustiores, in his unam de principibus ut videtur (cf. praef. p. LXXX), adiit, quarum lectiones in observationibus enotavit; ibidem multas conjecturas protulit, quarum partem Wielingio amico debebat. Textum qualem ex Lindenbrogiana recepit, rarius immutavit. — Hanc Westerhovii editionem repetiit G. Stallbaum additis Bentleii et Schopeni in *Donatum observationibus* (*Lipsiae a. 1830—31*).

**Klotz.** 7) Editio Lipsiensis a. 1838—40 Reinholdi Klotz. Hic quomodo rem absolverit, ipse indicat in praefatione p. V: ‘adnotationes nonnullae Aeli Donati quae in vetustioribus editionibus leguntur . . . ex editionibus volgatis exciderunt . . . denique editores . . . multa secus ac leguntur in veteribus editionibus constituerant . . . His ego incommodis quom libros manu scriptos . . . nunc quidem nancisci non potuisse, sic mederi studui, ut duas editiones antiquissimas, principem unam quae fertur sine loco et anno [i. e. Argoratensem, v. supra sub 1)], alteram Venetam anni 1485 [a Calphurniana pendet] . . . potissimum . . . sequerer’. Hinc satis appareat, quam fallaci nitatur fundamento haec editio. Attamen ne iniqui simus, hoc

profitendum est Klotzium, ut ipse l. c. monuit, veterem ordinem adnotationum — in universum quidem — revocasse et hic illuc textum in integrum restituisse.

## § 5.

De scholiis Terentianis  
ex Donati commento excerptis.

1) Scholia Bembina. In antiquissimo Terenti libro manuscripto, quem viri docti intra IV et V saeculum collocant, margines oppleti sunt scholiis, quae pertinent ad Andr. IV 5, 8—V 5, 8, Eun., Heaut. in. — III 2, 39, Phorm., Adelph. Horum scholiorum exiguam partem ex P. Victorii apographo Schopen a. 1832 (Progr. gymn. Bonn.) publici iuris fecit, fere omnia Umpfenbach in Hermae vol. II 341—402 edidit, sic tamen, ut satis multa vel corrigenda vel supplenda reliquerit, ut docent ea, quae Studemund in Annal. philol. 1868, 546—71 et 1882, 51—63 congressit. Octavo saeculo scholia tribuit Umpfenbach, qui idem animadvertit a duobus librariis ea scripta esse; proprius ad ipsius codicis aetatem accedere scholiastas sibi persuasit Studemund, de s. VI—VII cogitat Hauler; at Zangemeister-Wattenbach, Sickel, Kauer pro certo affirmant omnia scholia, et prioris et recentioris manus, sexto saeculo codici Bembino esse adscripta (cf. Ter. Phormio ed. Dziatzkko-Hauler p. 185; Stud. Vindob. XX 255 sqq.). Atque primum quae ad Andriam adnotata sunt, nulla omnino ratione cum Donati commento coniuncta sunt; in eis deinde quae ad Eunuchum et Adelphos pertinent inveniuntur sane nonnulla, quae cum Donato consentiunt, sed num ex huius commento, quale quidem ad nos pervenit, desumpta sint, res est admodum dubia; nam ille qui cognoscitur consensus ad communem fortasse fontem velut Terenti codicem variis scholiis instructum referendus est. Idem valet de parte scholiorum ad Heautontimorumenon et Phormionem. Rem autem ita se habere nescio an comprobetur illo ad Eun. II 3, 45 scholio Bembino, ubi legimus ‘sed quantum Donatus commentator Vergilius refert?’ Contra si ea scholia quae Phormionis prologo et primo actui adscripta sunt cum nostro commento comparamus, fieri non potest, quin illa ex hoc deprompta esse statuamus; habemus enim utroque loco eandem scholiorum farraginem (cf. imprimis ad I 1, 1) nec non pluribus locis singula commenti scholia in Bembino conglutinata videmus. Hinc sequitur ut sub finem sexti saeculi Donati commentum iam tale extitisse putemus, quale ad

Wesel. Asper 42

Daggy Löfström  
Evan. 1912, 53  
Hesabundus v.  
Westm. coll. aut.  
ggp: Am. Nsp.  
p. 42

nostram aetatem pervenit. Quod etiam alia ratione comprobari potest: nam scholiorum ad Heaut. facile duo discernuntur genera, quorum alterum arto quadam vinculo cum nostro commento cohaeret. Hoc non ita explicandum est, ut excerpta ex desperito Donati ad illam fabulam commento nobis praesto esse sumanus, sed — id quo luculentissime demonstravit Gerstenberg (De Euphrasio 108 sqq.; cf. etiam Smutny in Dissert. Vindob. VI 134 adn. 3) — ex quinque Donati commentariis nobis servatis similiter compilata sunt, atque Calphurnii in eandem comoediam interpretationes. Cuius rei 'una inveniri potest causa haec: quia scholiasta ille commentarium Donati in eam fabulam non iam habuit' (Gerstenberg 111). Aut igitur a compilatore corporis nostri Donateli omissum est illud commentum aut, quod a vero propius abesse videtur, post illum excidit (cf. Rabbow p. 332). Sic non solum cognoscimus qua aetate archetypus omnium codicum nostrorum confectus sit, verum etiam testem spectatae vetustatis nacti sumus, quamquam excerptorem interdum satis libere commenti textum tractasse neglegendum non est. *¶ XLVI*

2) Scholia Victoriana. Exstant in codice Terentii Laurentiano 38, 24 s. X frustula Donatae ad Andr. III 2, 24 — V 5, 7 et Eun. prol. 5 — II 2, 43. Horum scholiorum primus mentionem fecit Umpfenbach in Herm. II 338; idem in edit. Ter. partem excerpit (praef. XX adn. 2). Post illum ediderunt Sabbadini in 'Studi ital.' II 24—25 et Schlee, Scholia Terentiana 68—69. — His igitur scholiis vel potius glossis semper adscriptum est 'secundum d(onatum)'. Quae quin ex eiusmodi commento, quale nobis praesto est, excerpta sint, dubitari vix potest (cf. e. g. ad Eun. II 1, 5, ubi codd. Donati 'Quod mihi carior pro qui mihi sum carior', scholiasta 'pro qui mihi sum carior; aliter quod mihi carior scd. d.'): in utrisque eadem lemmatis corruptela); sed eundem qui scholia Victoriano addidit, ea ex Donato exscripsisse minime certum est. Immo non abest suspicio frustula illa ex alio codice Terentiano in Victorianis margines esse translata (cf. Umpf. Herm. II 338; velut ad Andr. V 1, 20 exstat 'praesenseram] aliter nt secundum d.', quod ni fallor corruptum est ex 'aliter rit s. d.', nam 'senserit' testatur Donati commentum); qui cuius generis fuerit etsi certo diudicari nequit, tamen de libro familiae γ (PC) cogitari posse non omittam. Etenim ad Andr. III 2, 24 legitur 'occepi] vel occoepi secundum donatum', hic autem habet 'occepi] occipi melius quam incepi (fort. quam coepti ex cod. A)', unde non absurdum videatur credere in libro quodam ad Terentii 'coepti' adnotatum fuisse 'vel occ(epi) s. d.'; 'coepti' vero est lectio codicum PC. Deinde ad Andr. IV 4, 45 in Victoriano scriptum est 'aha necdum omnia] aliter an haec tu omnia scilicet audisti secun-

*dum d.*', in Donati commento duo exstant scholia '<sup>1)</sup> AN NEC TV OMNIA . . . . 2) NEC TV OMNIA audisti subauditur'. Iam apparet illam Victorianiani adnotationem ad secundum scholium pertinere; sed neque in hoc neque in illo apud Donatum 'an haec tu omnia' legitur, quae contra lectio est librorum *PC*. Fortasse igitur Victorianiani scholium desumptum est ex codice quodam, in quo ad verba 'an haec tu omnia' supra versum additum erat 'scilicet audisti s. d.' Sed haec sufficient. In Victorianiano ordo fabularum est: Andria Adelphoe Eunuchus etc., itaque Sabbadini, quod frustula Donatae ad Andriam et Eunuchum pertinent, sagacissime conclusit derivata esse excerpta illa ex libro, in quo Andriam Eunuchus excipiebat; sed hinc eundem ordinem ex Donati aliquo codice profectum esse mea quidem sententia non necessario colligitur, cum et in libris *PC* Eunuchus sequatur Andriam.

3) Scholia Riccardiana. De Riccardino (nr. 528 s. XI) Umpfenbach in praefatione p. XXXIII ita refert: 'praeter secundam manum in initio Hecyrae et in Phormione tertia quaedam eiusdem aetatis atramento nigriore et ductibus subtilioribus excerpta ex scholiis Donatianis aspersit'; ibidem (adn. 1) quae partim ipse partim Studemund descripserant exhibet. Pertinent autem scholia Riccardiana, quae etiam Schlee syllogae suae inseruit (p. 69—75), ad Hec. prol. I 1—I 2, 84 et ad Phorm. prol. I—III 2, 1; Donati nomen nusquam adscriptum est. Plerumque haec excerpta consentiunt cum optimis Donati codicibus; itaque quoniam in hac commenti parte nisi saeculi XV libri manuscripti nobis praesto non sunt, multo vetustiorem testem servatum esse gaudemus. Tametsi hic quoque sicut in Bembinis scholiis cautione opus est, ne Donati commento adscribamus, quod soli excerptoris arbitrio debetur, velut ad Phorm. II 2, 24 versus Iuvenalis, quem codices nostri non agnoscent.

4) Scholia Vaticana. Perexiguus est numerus scholorum Donatorum in cod. Vaticano 3868 s. IX/X, cf. Umpfenbach in praefat. p. XXVII et Schlee l. c. p. 67—68.

5) Scholia Parisina. Iam apud Umpfenbachium in praef. p. XXVI haec legimus: 'scholia refert [sc. Fritschius] in f. duodecim prioribus [codicis Parisini 7899 s. IX/X] per multa esse, deinde rarescere, nonnullis locis plane deesse'; tum Chatelain 'Paléogr. des class. Lat.' ad tabulam VII de eodem codice ita refert: 'Dans le Paris. 7899, le texte de Térence est accompagné, au moins dans la première partie du volume, de gloses abondantes empruntées généralement au commentaire de Donat'; denique Schlee p. 38 mentionem facit, cum dicit 'in P libro priora folia duodecim multis Donatianis scholiis obsita sunt'. Haec scholia exceptis eis, quae Chatelain l. c.

transcripsit (ad Andr. I 5, 1—10), adhuc edita non sunt; magnam vero partem Schopen, cum a. 1851 Parisiis versaretur, descripsit simulque adnotavit pertinere illa excerpta ad tractatus de comoedia (Euanth. IV 5 sq.) et Andriam usque ad I 5, 10. Accedunt autem haec scholia Parisina quam proxime ad eam commenti formam, quae in optimis Donati codicibus nobis tradita est; ex ipso Parisino *A* Donati ea esse descripta iam contendere non ausim, cum sine dubio ex vetustiore libro fluxerint. De ratione quae inter Lindenbrogii ‘collectanea’ vel ‘excerpta Ms. R.’ et scholia codicis Paris. 7899 intercedat, v. supra § 4, 5.

De Eupraphio fusius disputavit Gerstenberg l. c. p. 33 sqq. Hic monuisse sufficiat inesse in nostra scholiorum farragine permulta, quae ex illius commento derivata esse videantur neque apud Eupraphium deesse, quae originem Donateam aperte prae se ferant. Certiores sententiam tum demum proferre licebit, cum quae sit Eupraphiani commenti indeoles atque natura melius perspexerimus.

Quod ad scholia recentiora pertinet, quorum partem Schlee edidit, viro doctissimo adstipulor, qui p. 44 haec protulit: ‘cum Donatianis magna multitudo brevium scholiorum congruit, quae utrum ex ipso Donato an ex eodem, quo ille hauserit, fonte petita sint, non liquet’. Nam sicut fieri potuit, ut breves illae annotationes ex genuino Donati commento exasperentur, ita non alienum est credere ex codice quodam Terenti glossis instructo permulta in nostram commentorum compilationem irrepsisse. Fortasse autem accurata scholiorum Donatorum, Bembinorum, Eupraphianorum, recentiorum comparatione instituta melius apparebit, quid in hac re statuendum sit.

### § 6.

#### De novae editionis subsidiis manuscriptis.

Ex eis quae supra (§ 3) exposuimus satis apparet, quos potissimum in constituendo Donati textu sequi debeamus libros manuscriptos: ubique proficiscendum est a codicibus, qui immunes sunt ab Italorum saeculi XV retractatione, id est *ABV<sup>1</sup>* *Cuiac.* *RTCF*. Qua in re neglegendum non est, quod iam supra monui, in adhibendo codice *B* cautione quadam opus esse; deinde codicis *F* testimoniiis carere possumus excepta prima commenti parte, ubi *C*

deest. Iam si apparatus criticum ad Andr. II 1, 31 — fin., ubi praesto sunt codd. *ABV<sup>1</sup>TC* perlustramus, has affinitates reperimus:

*ABV<sup>1</sup>—TC*: II 1, 31 uel — et; II 3, 29 dixit — ostendit; II 6, 16 celanda — occultanda; 24 reprehendo — uitupero; III 2, 31 enim — ante; 46 adiunxerunt — affixerunt; III 4, 18 commotus — prouocatus; 19 caute — hanc; 22 palam — manifestum; III 5, 4 et sapientia — pretium pro stultitia; IV 1, 9 id est quia — tamquam; 13 promiserunt — prouiderent; IV 5, 8 sequebatur — perseuerat; V 2, 13 precatorem — praecoptorem; V 3, 25 potest incusare — accusare potest; V 4, 12 esse — chritonem; V 5, 1 duas res — duo.

*AB—TCV<sup>1</sup>*: II 3, 9 a principio — ab initio; III 3, 10 mutabant — uitabant; IV 3, 18 sagittariis — sagittis; V 6, 14 plurimis — pluribus.

*AV<sup>1</sup>—BTC*: IV 3, 18 captandas — capiendas; IV 4, 47 in cruciatum — cruciatum; V 2, 14 uolunt — uelint; V 3, 27 sufferre — ferre; V 4, 11 tuam — tu iam; 34 consuetudine magis — m. c.; 47 uel — et; V 5, 4 sint — sunt.

*ATC—BV<sup>1</sup>*: V 1, 9 hic — haec; V 2, 3 et aduentum — aduentum; V 3, 8 mos — mox.

In reliquis commenti partibus res eadem est. Differentiarum autem quae apparent pars casui tribuenda est, pars inde repetenda, quod codices *TC* non recta via ex antiquo libro propagati sunt, sed intercedente hominis docti transcriptione; quae restant, ex glossematis vel variis lectionibus adscriptis originem traxisse videntur, cf. e. g. Andr. I 1, 9: dominabatur *AV<sup>1</sup>*, dominatu *T*, dominatu, *in mg.* al. dominabatur *C*; II 6, 8: omnibus uel nominibus *AB*, omnibus *TC*, nominibus *V* (*dett.*); V 1, 5: criminis uel criminationis *A*, criminis *rell.*; V 3, 25: peccato, *sscr.* uel re *A*, peccare *rell.*; V 6, 3: dixerit, *sscr.* uel sci *A*, dixerit *ut vid.* *V<sup>1</sup>*, scierit *rell.*

Accedit quod librarii saepius ad libidinem pristinum verborum ordinem immutaverunt, cuius rei luculenta ex-

empla sunt haec: Ad. II 2, 17 demonstratiuus (sic *V<sup>2</sup> dett.*) demonstrat huius *ut vid. V<sup>1</sup>*, huius demonstrat *C*; Ad. IV 5, 33 dixit sed miser amet] dixit sed miseram et . *C*, sed miseram dixit et *V (dett.)*; Ad. V 9, 16 qui amari conabatur] quia mori conabatur *C*, quia conabatur amari *V (dett.)*; Hec. III 1, 8 aut enim solunt nos curae] autem insolunt nos cure *C*, aut enim nos curae insolunt *V (dett.)*; cf. etiam supra ad Andr. V 3, 25; 4, 34.

Si originem atque indolem singulorum librorum respicimus, in universum dici potest praestantiores esse fidem codicum *ABV<sup>1</sup>*. Quo magis dolendum est in maxima commenti parte his testibus nos esse destitutos, adeo ut omnino ad Maguntini memoriam delegati simus. Sed hic quoque perincommode accidit, quod duo codices — *T* et *R* dico — non nisi exiguum totius operis partem continent, cum solus *C(F)* integrum exhibeat commentum. Cui accedit codex *V*, quem inde ab Ad. II 3 testem esse incertissimum saepius commemoravimus. Atque ut discernamus, ubi *V* ex Italorum recensione pendeat, necesse est consulamus libros deteriores, qui ad eandem recensionem pertinent; ubi igitur *V* a codicis *C* memoria discedit et cum deterioribus consentit, fieri non potest, quin illius scriptura in summam vocetur suspicionem. Idem cadit in Phormionis commentum, ubi praeter *C* codicem *R* Maguntinae prosapiae testem habemus. Haec autem re vera ita se habere optime comprobatur lectionibus codicis Cuiaciani, quas Pithoeorum collationi debemus. Pauca afferam exempla. *C (Cuiac.)* — *V (dett.)*: Ad. IV 2, 13 figuravit] figura aut — figurative ut dicimus; IV 2, 43 mane deueni] man deuani (manaeuam) — mande iram; IV 3, 2 fecerat (faceret) — peccatum fuisse; IV 4, 3 significat — significet; IV 4, 22 fuisse — esse; IV 5, 59 subaccusatur hoc (hic) — per hoc subaccusetur; IV 7, 5 mitigare sibi acriorem fieri iracundiam (-dum) demeam — iracundiam demeae acriorem fieri possibilem sibi mitigare queat; Hec. prol. II 1 dum (dicit) — memoratur; prol. II 23 at ubi cum (a iudicium) persona — primo cum persona; I 1, 17 semper suasisse (se

persuasisse) — eam persuasisse; I 2, 56 a nomine in e & (a nomine cet) — antonomasice; II 1, 41 coniunctia (-tiua) — coniunctione. *BC* (*Cuiac.*) — *V* (*dett.*): IV 3, 15 nominavit apposita sunt (nomina ut posita sunt) — nominavit; IV 4, 8 socrum sed — sostratam et. *RC* (*Cuiac.*) — *V* (*dett.*): Phorm. I 1, 1 grecisque (gregisque) — generisque (*sic et R in mg.*); I 1, 7 pro uero (puero) — pro uere scio; I 2, 52 hortatus (-tor) — hortari; I 2, 97 nam — iam; I 4, 34 uide satin — et quid commachinetur; II 3, 8 sexu — sensu; 18 ociosa — odiosa. — In tanta integrorum testium penuria facere non poteram, quin interdum deteriorum librorum lectiones afferrem, praesertim iis locis, ubi velut ad Phorm. II 1, 4—19 *V* solus commenti textum servavit. Quod ex magno deteriorum codicum numero *L* et *D* (quibus in priore parte accedit *P*) selegi, hoc post ea, quae de libris manuscriptis exposui, comprobationis indigere non puto; his interdum addidi scripturam codicis *O*, quippe qui hic illic bonam lectionem exhiberet. Iam quibus subsidiis in singulis commenti partibus nitatur nova editio, haec doceat tabula:

		Meliores	Deteriores
Vita Terenti	<i>A</i>	<i>V<sup>1</sup></i> <i>T</i> <i>F</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
Tractatus de comoedia	<i>A</i>	<i>V<sup>1</sup></i> <i>T</i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
Andria — II 1, 23	<i>A</i>	<i>V<sup>1</sup></i> <i>T</i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
” II 1, 23—fin.	<i>A B</i>	<i>V<sup>1</sup></i> <i>T</i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
Eunuchus — III 2, 1	<i>B</i>	<i>V<sup>1</sup></i> <i>T</i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
” III 2, 1—V 2, 23		<i>V<sup>1</sup></i> <i>T</i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
” V 2, 23—fin.		<i>V<sup>1</sup></i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
Adelphoe — I 1, 40	<i>A</i>	<i>V<sup>1</sup></i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
” I 1, 40—II 3		<i>V<sup>1</sup></i> <i>C</i> <i>L P</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
” II 3—fin.		( <i>V<sup>1</sup></i> ) <i>C</i> <i>L</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
Hecyra — III 4, 16		( <i>V<sup>1</sup></i> ) <i>C</i> <i>L</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
” III 4, 16—V 2, 8	<i>B</i>	( <i>V<sup>1</sup></i> ) <i>C</i> <i>L</i> <i>V<sup>2</sup></i> ( <i>D</i> )	
” V 2, 8—fin.		( <i>V<sup>1</sup></i> ) <i>C</i> <i>L</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
Phorm. — II 1, 4		( <i>V<sup>1</sup></i> ) <i>R C</i> <i>L</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i> ( <i>O</i> )	
” II 1, 4—19		( <i>V<sup>1</sup></i> ) <i>L</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i>	
” II 1, 19—fin.		( <i>V<sup>1</sup></i> ) <i>R C</i> <i>L</i> <i>V<sup>2</sup></i> <i>D</i> ( <i>O</i> )	

Quod ad voces Graecas attinet, in iisdem paene versamur angustiis, quippe cum in noviciis libris fere desiderentur. Omni suspicione carent, quae in *AB Cuiac.* traditae sunt; idem valet de iis quae in *V* — huic plurimas debemus — et *R* leguntur. Accedunt quae in *M* a manu 4., in *G* a manu 2. nescio quibus ex fontibus suppleta sunt; paucissima ex codice quodam Caroli Strottii repetuntur (v. 'Studi ital.' II 89; 127). Praeterea in *TC(F)* quaedam casu servata sunt, de quibus disputavi in *Mus. Rhen.* LII 75 sq. Nonnulla etiam in codicibus *tx* sed in prima dumtaxat commenti parte (usque ad Andr. I 1, 98) extant; haec plerumque cum iis consentiunt, quae in *M* atramento scripta sunt: minio enim manus 4. supplevit. Longe alia condicio est vocabulorum Graecorum, quae editio princeps exhibet; nam ea si non omnia at magnam partem interpolatori deberi demonstravit Sabbadini ('Studi ital.' III 333). Quid de Stephani editione statuendum sit, docent ea quae in praefatione exponit: ubi librorum manuscriptorum testimonium accedit, suspicio nulla est, at ubi illi deficiunt, quod imprimis in Adelphorum commento factum est, periculum est, ne quae docti nescio cuius conjectuae debentur, vetusto exemplari quo usus est editor imputemus. — Praeterea monendum librarios in perscribendis vocabulis Graecis, — hoc potissimum ad terminos technicos quos vocant pertinet — sibi minime constitisse; unde factum est, ut in codicibus modo Graecae modo Latinae litterae appareant. Qua in re eam potissimum secutus sum rationem, ut omnibus locis Graecam restituerem formam, ubi aut optimi libri eam exhibent aut in quibusdam lacuna exstat, cum aliis Latinam formam praebeant.

## § 7.

De eius quod ad nos pervenit commenti forma  
atque origine.

Ad communem archetypum redire omnes codices nostros non est quod pluribus demonstretur. De illo egit Sabba-

dini ('*Stud. ital.*' II 22 e. adn.; 73; III 335), cui id concedo proximum fontem minusculis litteris scriptum, hunc autem ipsum ex codice maiusculae litteraturae derivatum fuisse (cf. quae § 2 de Parisino *A* indicavi). Quod autem vir doctissimus contendit prototypon exemplar saeculo VI—VII confectum esse, paulum ab eo dissentio. Id quidem recte animadvertis terminum quandam preeberi scholiis Bembini codicis ad Phormionis partem priorem spectantibus: quae saeculo VII attribuit, cum vix possit esse dubium, quin sexto saeculo vetustissimo libro adscripta sint (v. supra § 5, 1). Sed quod Leonem secutus dicit Prisciano pleniorum commenti Donati formam praesto fuisse, quam quae ad nos pervenerit, id probare minime possum: etenim si duos illos institutionis grammaticae locos (v. § 1 testim.) comparamus, hoc solum efficitur de prompsisse grammaticum ex Donati commento variam ad Andr. III 3, 4 lectionem 'paucis' et 'pauca', quam nostrum quoque commentum testatur. Nulla igitur re impedimur, quin medio fere saeculo VI eam quae aetatem tulit scholiorum Terentianorum recensionem esse ortam sumamus.

Iam vide queso, quantum spatium temporis inter prototypon illud exemplar et antiquissimum quem habemus codicem — Parisinum *A* s. XI dico — intercedat: facilime animo comprehendere poteris, quam lata omnis generis corruptelis praesertim in huiusmodi opere patefacta sit via. Quas si removerimus — quod ut fieret, enixe operam dedi: quamquam permulta adhuc sospitatorem flagitare non ignoro —, non ad ipsum Donati commentum perveniemus, sed ad eam tantummodo quam saeculo sexto assignavimus scholiorum compilationem, quam in hac editione quoad fieri potuit exprimendam curavi, adeo ut etiam scholiorum ordinem saepenumero perturbatum servaverim.

Cum non sit in animo totam hic pertractare quaestio-  
nenem Donatianam, satis habeo indicasse, quomodo commentum  
nostrum ortum esse videatur. Iam inde ab saeculo XVI  
viri docti animadverterunt hanc scholiorum farraginem a  
Donato non esse profectam (v. '*Studi ital.*' II 4 sq.); ita-

*PLW VI  
990, 52*

que varia temptaverunt, ut rem explicarent, quae omnia referre et longum est et supervacaneum, cum diligentissimam habeamus Sabbadinii disputationem. Quem potissimum secutus sic mihi rem composui: genuinum Donati commentum in duorum excerptorum manus incidit, qui servato auctoris nomine scholia maximam partem plus minusve transformata in Terentianorum codicum margines transtulerunt. Procedente tempore evenit, ut variae adnotationes diversae originis sive ab ipsis excerptoribus sive ab aliis adicerentur. Tum sexto saeculo nescio quis duo illa scholiorum corpora admodum aucta in unum cogere studuit atque rem ita instituit, ut primum singulos scho- liorum ordines binis columnnis iuxta positis ex codicibus transcriberet, deinde Terentianorum versuum ordinem secutus confunderet; id quod ei non semper contigit. Simul commissuras quam maxime occultare conatus est, ut unius et simplicis operis speciem efficeret; fortasse etiam alia nonnulla de suo addidit. Compilator vero 'cum per quattuor [vel quinque, scilicet Andr. Eun. Heaut. Ad. Hec.; cf. supra § 5, 1] fabulas id egisset sedulo, ut duos commentarios in unum concinnaret et contaminaret, in Phormionis II 3 abiecta subito industria integros posuit, primum alterum a v. 7 (nam huc usque contaminati sunt) ad v. 93, deinde alterum a v. 5 ad v. 93; dehinc autem quae sequuntur scholia usque ad finem fabulae, ea ita comparata sunt, ut unum commentarium adhiberi intellegas. Quare certum est Phormionis commentum fuisse ultimum, ad quod cum pervenisset compilator, fastidio concepto destituerit quam usque dederat operam' (Rabbow p. 331, qui quae in period. phil. Berolin. 1895, 427 exposui, non recte intellexisse videtur). Hinc igitur numerosissimae illae repetitiones, hinc saepenumero perturbatus scholiorum ordo, hinc porro mira illa ad Phorm. II 3 commenti forma, hinc denique rarescentia ad Phorm. III—V scholia!

Iam si quaeritur, num fieri possit, ut aliqua ex parte genuinum Donati commentum ex hac scholiorum farragine eliciatur, equidem hoc non prorsum negaverim, sed res

mihi videtur esse admodum lubrica atque intricata. Quin ipse qui periculum fecit Sabbadini confiteri coactus est rem interdum esse meri arbitrii ('Stud. ital.' III 346; cf. etiam Leo in Mus. Rhen. XXXVIII 333). Itaque ne aliorum praecoccuparem iudicium simulque ut aliquo modo viam praestruerem, satis habui ea quam indicaverunt Schopen, Teuber, Sabbadini ratione adhibita singulas annotationum glebas in quantum iustum ac necessarium visum est dissoluisse. Inclinatis autem litteris reddi ea in primis volui, quibus integrum scholium in duas vel plures partes disiectum esse videbatur; hic illic etiam parva additamenta (cf. Andr. prol. 6<sup>2</sup>; 16<sup>3</sup>; 24<sup>2</sup>; 25<sup>3</sup>; I 1, 1<sup>6</sup>; 2<sup>1</sup>; al.) eodem typorum genere exprimenda curavi.

De Euanthio eiusque commentario Terentiano, de quo ambigunt viri doctissimi, v. commentatiunculam meam 'Unters. z. lat. Scholienlitt.' c. I; de altero tractatu v. eandem et 'Studi ital.' V 303 sqq.; de praefationum singulari condicione cf. Smutny (Diss. Vindob. VI) p. 100 sqq., Rabbow p. 320 sqq.

Quod attinet ad ipsam Terentianarum fabularum memoriam, qualis exstat in commento nostro, rem esse incertissimam ex eis, quae de commenti origine exposuimus, facile quivis intelleget. Nam ut omittam scholiorum formam saepenumero ab excerptoribus esse mutatam, hoc vix credibile est etiam integra genuini commenti Donatei lemmata in Terentianorum codicum margines esse translata. Immo veri est simillimum singula scholia variis notis cum iis ad quae pertinebant poetae verbis coniuncta fuisse; deinde eum qui scholia descripsit, ut unum corpus efficeret, praefixisse ea comici verba, quibus eadem quae scholio nota adscripta erat. Hinc factum, ut haud raro falsa scholiis lemmata praeponerentur — quae additis †† significavi —; hinc porro factum, ut lemmata modo hanc modo hanc Terentiani textus recensionem sequerentur; hinc denique factum, ut interdum aliam in lemmate, aliam in ipso scholio Terenti memoriam inveniremus (cf. 'Studi ital.' III 335 sqq.; 341 sqq.; 358 sqq.). Quae si reputaverimus,

facile concedemus ex lemmatis de ea quam ipse Donatus secutus sit textus recensione nihil certi colligi posse, quippe quae nihil indicent nisi quae fuerit in iis, quibus olim scholia adscripta erant libris Terentianis textus condicio; quos libros intra IV et VI saeculum collocandos esse per se patet. Maiorem fidem habent ea, quae ex ipsis scholiis eliciuntur, quamquam ne hic quidem de Donatea origine satis constat; praeterea non neglegendum ex memoria scholiastam afferre potuisse poetae verba. Sed haec monuisse sufficiat, nam si ad singula nunc descendere vellem, vereor ne terminos huius praefationis longe excederem. Attamen pauca videntur esse addenda. In codicibus enim Donatei commenti saepius singulis scaenis personarum notae praepositae sunt, quae quin ex illis de quibus supra dictum est libris Terentianis derivatae sint, vix potest dubitari: quas integras referre e re visum est.

## Andria

- I 2 DAVVS SIMO A, SIMO T
- 3 DAVVS ATC
- 4 (Mysis? A)
- 5 MISIS A
- II 1 CARIN9 BIRRIA PAMPHILVS  
AT
- 2 DAVVS CHARINVS PĀPHILVS  
AT
- 3 Pamphilus dauus AT
- 4 Simo dauus · PAMPHILVS  
AT
- 5 BYRRIA ET IDĒ · A, (tres  
add.) T
- III 1 MISIS · DAVVS SIMO LESBIA A,  
(M-S-D-L-) T
- 2 lesbia simo · DAVVS A
- 3 SIMOON · REMIS A
- 4 DAVVS Simo AT
- 5 Pamphilus · Dauus · AT
- IV 1 CHARINVS PAMPHILVS DAVVS  
AT
- 2 MISIS PAMPHILVS CHARINVS  
DAVVS AT
- 3 MISIS A

- 4 chremes MISIS · DAVVS AT
- 5 CRIGO MYSIS · DAVVS A,  
(crito) T
- V 1 SIMO CHREMES A, Chremes  
Senex Simo Senex T
- 2 DAVVS · CHREMES SIMO DRO-  
MO A
- 3 PAMPHILVS · SIMO · CHRE-  
MES A
- 4 CRITO SIMO PĀPHILVS A
- 5 CHARIN9 PAMPHILVS DAVVS A
- 6 DAVVS PĀPHILVS CHREMES A,  
dauus pan · cre · B, da-  
uus panphilus carinus T

## Eunuchus

- I 1 Phaedria Parmeno T
- 2 Tais Pzoh: (!) PAR · T  
(II 1—III 1 *nihil apud Sabbadiniū adnotatum, sed quin extent non dubium*)
- III 2 Tais Traso gnato Par-  
meno Pythias T
- 3 Chremes Pithias T
- 4 Antipho T
- 5 Cherea Anthifo T

Eunuchus  
 IV 1 doris *T*  
 2 phedria *T*  
 3 Phitias dorias phedria *T*  
 4 phedria pithias *T*  
 5 Chremes pithias *T*  
 6 Tais pithias Cremes *T*  
 7 Traso Gnato Cremes  
 Thais *T*  
 V 1 Tais Phitias *T*  
 2 Chaerea phitias Thais *T*  
 Adelphoe  
 I 1 Micio SENEX *A*  
 Hecyra  
 I 1 philotis syrus parmeno *C*  
 IV 1 mirrina phidippus *B*  
 2 sostrata pamphilus *B*  
 V 1 bachis laches *B*  
 2 phidippus laches bachis *B*

Phormio  
 I 3 ANTIPHO PHEDRIA *R*  
 4 GETA ANTIPHO PHEDRAA *R*  
 II 1 DEMIPHO SENEX *R*  
 2 PHORMIO *R*  
 4 DEMIPHO *R*  
 III 1 ANTIPHO *R*  
 2 PHEDRIA *R*  
 IV 1 DEMIPHO chremes *R*  
 3 ANTIPHO *R*  
 V 1 sopronia *R*  
 3 DEMIPHO *R*  
 9 NASISTRATA *R*

E codice *V* neque a Wissowa  
 neque a Sabbadinio quicquam  
 enotatum est; cur deteriores  
 libros neglexerim, non est quod  
 demonstrem.

Deinde alia res commemoranda: interdum enim scaena-  
 rum distributio in codicibus commenti nostri differt ab  
 ea, quam Terenti libri testantur. Novae scaenae initium  
 appetat Andr. IV 3, 7; Eun. V 4, 21; Hec. III 1, 38; Phorm.  
 III 3, 7; econtra nova scaena non indicata est Ad. V 5  
 (*sic V dett.*); Ad. V 8 (*sic C*); Ad. V 9; Hec. IV 3 (*sic C*); Phorm. III 3, 1; Phorm. IV 2; Phorm. V 7. Ad Phorm.  
 III 3, 1 et 7 res ni fallor librario tribuenda est, qui a  
 QVID FACIAM versus primi aberravit ad QVID FACIAM versus  
 septimi. Cf. etiam Rabbow p. 335.

Iam cum ad finem pervenerim, restat ut gratias agam  
 in primis Georgio Wissowa, qui cum me in Donati com-  
 mentum operam studiumque conferre comperisset, non  
 modo quod olim ceperat novae editionis parandae con-  
 silium depositus, verum etiam quas ipse confecrat colla-  
 tiones humanissime mihi concessit; eodem intercedente  
 factum est, ut Schopeni et Reifferscheidii schedae amplissi-  
 ma ab huius uxore comiter mihi traderentur. Deinde  
 gratissimo profiteor animo, quantum debeam liberalitati

Donati comm. rec. Wessner.

d

eorum, quorum curae commissae sunt bibliothecae Ber-nensis, Dresdensis, Florentinae et Laurentiana et Ric-cardiana, Gottingensis, Ienensis, Leidensis, Oxonienses et Bodleiana et Lincolnensis, Parisiensis. Nec possum reti-cere, quantam apud me gratiam inierint qui et re et consilio benigne me adiuverunt viri doctissimi H. Graeven, R. Hirzel, Ch. Hoeing, R. Kauer, I. Kurth, W. M. Lindsay, P. Rabbow, E. Rostagno, R. Sabbadini, Fr. Spiro, M. Warren. Quantum vero me obstrinxerint sibi viri humanissimi semperque erga me benevolentissimi Georgius Goetz et Fridericus Schoell, qui plagulas corrigendas suscepserunt, saepissime dubitationes aut moverunt aut removerunt, per multa felici coniectura restituerunt, vix possum proloqui.

Ser. ad Bremae portum Kal. Febr.

P. W.